# MANDATUM
## EPISCOPI SANCTI PONTII
### DE PUBLICATIONE
## SENTENTIÆ PLURIMORUM
Sacræ Facultatis Parisiensis Doctorum, quos de variis propositionibus consuluit.

*Quæ ad Dogmata, Moralem, & Ecclesiæ Disciplinam spectant.*







BITERRIS,
Apud STEPHANUM BARBUT, Typographum & Bibliopolam Regis, Illustrissimi Episcopi. 1699.

---

*CUM PRIVILEGIO.*



# MANDATUM

## EPISCOPI SANCTI PONTII

### AD FIDELES SUÆ DIOECESEOS.

CUM Recollecti Provinciæ Sancti Bernardini continuò enitantur ut Doctrinæ nostræ simul & disciplinæ in haccè Diœcesi jussu nostro observatæ Fidem abrogent, iidemque pessimis suis atque errore scatentibus sententiis quas repugnandi nobis libidine in medium attulerunt quantam possunt autoritatem maximam conciliaturi, nullum finem faciant rumores disseminandi in vulgus, quibus nonnihil commoventur populorum animi, postulat sanè Officii nostri ratio ut huic malo remedii quicquam adhibere & pravis quæ inde nasci possent effectis quoad possumus occurrere studeamus dum istud quidquid est mali editis à Summo Pontifice

de utrorumque Doctrinâ definitionibus radicitùs tandem evellatur. Quamobrem cum Diœcesis nostræ fidelibus, vel iis ipsis quibus adversariorum calumniis Fides nostra maximè in suspicionem venit, nihil suspectum minus offerri possit tutiusque lato à plus centum è Sorbonicis Doctoribus de pravis istorum Recollectorum opinionibus judicio Typis illud mandari curavimus. Itaque ut quam poteritis accuratè atque attento, uti par est, animo perlegatis hortamur vos obtestamurque : rati nimirum hanc elucubrationem eam esse quæ hinc sanâ Doctrinâ jam imbutos novâ quam affert luce magis magisque confirmet, illinc vero imbecillioribus & imperitis adversus pravarum horum Religiosorum opinionum venenum Antidoti loco esse valeat. Datum in Castello nostro Sancti Aniani. Die 26. Aprilis 1699.

† PETRUS - JOANNES - FRANCISCUS.
Episcopus Sancti Pontij.

*De Mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini.*
RAPHAEL.

# DE SCRIPTURA SACRA.

I.

SOLI, qui planè sunt in Theologiâ rudes ac Novitii, excusari Possent si definitionem hanc ignorarent Concilii Tridentini sess. 4. nimirum vulgatam editionem solam esse authenticam, Canonicam, & omnis erroris expertem.

II.

Id institutum est, ea mens Genevensis quidem & Batavicæ, non verò ejus quæ Christi est, Ecclesiæ ut Scripturam Sacram manibus promiscuè omnium permittat, cujuscumque tandem ætatis, sexus, ingenii, conditionis, ac capacitatis illi sint, sinè ullâ restrictione.

III.

Concilium Tridentinum certas leges ac regulas fixit, easque authenticas & ab Ecclesiâ universâ receptas quibus Scripturæ Sacræ lectio in vernaculum sermonem translatæ prohibetur.

IV.

Digna est ea cogitatio quæ vituperio & risu excipiatur, si quis dicat omnibus æque fidelibus ab Ecclesiâ proponi cohortationes Sanctorum Patrum quæ in Divinis Officiis leguntur illam v. g. B. Chrysostomi concionem, quæ legitur in secundo Nocturno secundæ post Epiphaniam Dominicæ, quandoquidem Officium Nocturnum in quo leguntur ad solos Ecclesiasticos homines pertinet solique illi ejusmodi rebus imbui tenentur.

V.

Quantumvis antiqui Doctores Scripturæ Sacræ lectionem omnibus commendassent, eam tamen nostris temporibus non commendarent. Si facerent, *quod quisquis in mentem induxerit gravem ipsis injuriam faciat ac rebellionis in Ecclesiam insimulet*, illos audire non deberent, quidquid est veri nominis Catholicorum.

VI.

Dubitari non potest quin fidelibus multò utilius esset, si remissâ ad Theologos, Concionatores, Pastores, Rectores, Confessarios & Professores, Legendorum Bibliorum Curâ ipsis aliorum piorum librorum lectio proponeretur.

VII.

Nihil tùm ab Ecclesiæ mente, tùm ab ipso Pœnitentiæ Sacramento æque abhorret ac si quæratur, revoceturque in dubium possitne ad illud plus semel in vitâ utiliter recurri, præsertim cum ad istam adeò suspectam quæstionem nonnisi verbulo uno defunctorio ac summis labris frigidè emisso respondetur, *posse*, eaque extorta responsio postmodum destruitur, dum palam docetur, hanc fuisse primis sæculis Ecclesiæ mentem ac consuetudinem, ut illâ potestate, saltem vulgò, plus semel in vitâ non uteretur erga eos homines qui essent in peccata quædam enormia revoluti.

VIII.

Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta funditùs eruunt qui absolutionem differunt & â communione removent eos homines qui veniales tantum maculas contraxerunt.

IX.

Pœnitentiæ Sacramentum abolent, innuuntque absolutionem quæ in eo conceditur non esse nisi declaratoriam qui piis tum hominibus tum mulieribus Sacram communionem permittunt non impertitâ priùs absolutione.

X.

Qui dicunt inesse in Sacerdote veram remittendorum peccatorum potestatem, sed tamen gratiam reconciliationis peccatoris cum Deo non hominis operæ tribuendam, sed à Christi Redemptoris Sanguine proficisci, id illi furtim ac callidê insinuant quod adversus Catholicam Fidem Calvinistæ semper objecerunt, nimirum, si inesset in Sacerdote vera hominem Deo reconciliandi facultas, inde secuturum illam reconciliationem opus hominis fore non Christi Redemptoris Beneficium.

XI.

Qui dicunt Sacerdotes nostros simplices tantum ministros esse meraque divinæ potentiæ instrumenta; qui ad instar actûs judicialis declarant quod in Cœlis à Christo efficitur, ii opponuntur ex adverso Synodo Tridentinæ in quâ definitum est absolutionem non esse simplex ministerium declarandi peccata esse remissa.

XII.

Concilium Tridentinum ita expressè definivit sufficere ad absolutionem recipiendam, attritionem quæ vitam animæ non tribuit, imò quæ amore Dei omni vacua esse supponitur, ut anathemate feriat qui contrariam opinionem deffendunt. XIII. XIV.

Qui dicunt absolutionem validè conferri non posse nisi iis qui contritionem habent aliquâ charitate animatam, perinde est, ac si dicerent absolutionem validè conferri non posse nisi iis qui priùs sunt in gratia constituti, & Deo per contritionem perfectam quâ vitæ restituitur anima, reconciliati.

XV.

Falsum est ab Ecclesiâ Catholicâ formam Græcorum deprecativam approbari.

XVI.

Qui docent ab Ecclesiâ Catholicâ formam deprecativam quâ Græci absolutionis loco utuntur approbari, easque ex ipso consensu Doctorum in rei naturâ unum & idem quid esse, ii ab usitatis Ecclesiæ tramitibus deflectunt, Doctrinam insolentem profitentur, eoque adducunt ut credatur posse formam illam in Ecclesiâ Latinâ legitimè usurpari. XVII.

Juxta Fidei regulas non potest formæ Pœnitentiæ, nisi imperativus sensus attribui, aut, quod tutius est, absolutus, nequaquam verò deprecativus.

*DE SIGILLO CONFESSIONIS.*

XVIII.

Confessio Peccatorum Secreta ita est ex Christi Domini instituto ut si palam illa fieret hoc ipso desineret esse Sacramentalis, juxta Decretum Concilii Tridentini.

XIX.

Concinunt cum Calvinistis & Doctrinam infinito â veritate spatio distantem amplectuntur qui volunt posse Ecclesiam ob secreta Peccata publicas pœnas imperare.

XX.

Doctrinam deffendunt Arcano Confessionis & Synodi Tridentinæ menti è Diametro oppositam qui tametsi fa-

teantur maximam ſemper fuiſſe criminum Sacerdoti declarandorum neceſſitatem, volunt tamen ad Confeſſionis eſſentiam non pertinere utrum publica ſit an ſecreta ſed ad aliquod diſplinæ caput quæ fuerint Epiſcoporum authoritate immutata, quod perindè eſt ac ſi dicatur poſſe Epiſcopos hoc in negotio agere ad libitum, eorumque arbitrio relinqui ut vel ſecreta peccata palam declarari jubeant pœnâ nullitatis Confeſſionis vel ſecreto tantum declarari permittant.

## DE SATISFACTIONE.

### XXI.

Periculum eſt ne irritæ omnino & nullius ad ſatisfactionem pretii ſint quæcumque ante abſolutionem pœnæ luuntur, niſi præcedat reconciliatio cum Deo per contritionem: Siquidem nullum opus ſatisfactorium eſſe poteſt, aut meritorium niſi quis in ſtatu gratiæ ſit conſtitutus.

### XXII.

Qui dicunt hunc eſſe ordinem maximè rectum ac ſimplicem idque prioribus Eccleſiæ ſæculis conſtanter fuiſſe obſervatum, ut ne detur abſolutio niſi poſt expletam ſatisfactionem, ii rem affirmant ab omni ſpecie veri remotiſſimam quæ nullatenus poſſit cum ſanâ Theologiâ & ipſius Eccleſiæ decretis conciliari. Eſt hic unus è reliquis Petri Uxamenſis erroribus, quem errorem Sixtus IV. in Bullâ ſuâ Everſâ anno 1471. & Sorbona die 1. Julii an. 1641. hæreſeos notaverunt.

### XXIII.

Errant vehementer & turpi ac deflendâ ignorantiâ laborant qui cum abſolutione Sacramentali fori interioris permiſcent & confundunt ritus antiquos publicæ, Canonicæ & Cæremonialis abſolutionis quæ vigente priorum ſeveritate ſæculorum, palam & extra Pænitentiæ Sacramentum ob ſcandaloſa quædam ac publica flagitia quorum punitio ad forum exterius pertinet, nonniſi poſt perfectam omnino ſatisfactionem ſcandali emendandi cauſâ concedebatur, quæve nullatenus erat Sacramentalis.

## DE CONFESSIONIBUS EXTRA PARŒCIAM FACTIS.

### XXIV.

Sublatum eunt omnem Pœnitentiæ & Euchariſtiæ uſum,

qui persuadere volunt non licere peccata sua confiteri extra Diœcesim imo ne extra paræciam quidem suam. Efficax est dura hujusmodi atque imperiosa lex ad conflandum Pœnitentiæ Sacramento odium.

### DE USU SACRAMENTORUM RESPECTU *eorum, qui recens ab hæresi conversi sunt.*

### XXV.

Rem molitur si qua fingi potest, horribilem, atrocem, infert Sacramentis contumeliam, adeoque viam munit ad ea penitus subruenda, præripit fidelibus eam quæ ipsis inest Confessarios sibi eligendi facultatem, spernit authoritatem Summi Pontificis, deflectit ab Ecclesiæ consilio & voluntate conceptis vocibus in Jubilei Bullis expressâ super illa Confessarios eligendi potestate, qui vetat, ne quis ad Catholicam Fidem recens conversus, aut quivis alius de hæretico genere peccata sua per Paschale tempus concionatori Monaco confiteatur, eâ nimirum prætentâ ratione quod cum ille vulgo ibi non commoretur brevique sit, post expletum muneris sui stadium discessurus, per temporis angustias non possit probatam habere illorum hominum Fidem, religionem, pœnitentiam neque penitus indagare sintnè, ut par est ad recipienda Sacramenta comparati.

### DE COMMUNIONE EUCHARISTICA.

### XXVI.

Fateor equidem bene agi cum illis hominibus qui nullum Pietatis sensum habent, qui eousque sunt divinæ gratiæ rebelles ut in letalia flagitia præcipites ultro ruant, si per breve aliquod tempus a Sacrâ Christi mensâ removeantur ad injiciendam ipsis Divinæ illius escæ venerationem. Id potissimum observari debet cum quis in turpium atque atrocissimorum flagitiorum cæno diu hæsit & præsertim in impudicitiæ criminibus consenuit a quâ maximè abhorret Divina Virginum sponsi castitas ac sanctimonia. Id tamen nullatenus patrocinari debet consuetudini novatorum, hostium Eucharistiæ infensissimorum qui per quatuor, per sex menses, per annos quandoque integros Sacramentorum aditum Pœnitentibus intercludunt, ut illi nimirum miseri omne desiderium, sensum omnem, omnem divini illius alimenti recordationem abjiciant, postremo ut in iis fasti-

dium quoddam, quædam ab Eucharistiâ imo & Confessione ingeneretur aversio. Sacræ Communionis dilatio iis hominibus præcipienda qui in gravissimis ac maxime portentosis sceleribus diu jacuerunt & inveteratam contraxerunt fœdissimorum peccatorum consuetudinem ultra decem aut quindecim dies protrahi non debet. Nonnumquam quatuor aut quinque sufficient, ne illi maximo quod eorum infirmitati afferri possit, subsidio hoc est Sacrâ Communione priventur.

### DE BACCHANALIS TEMPORIS OBLECTATIONIBUS.

### XXVII.

Saltationes, profanæ cantilenæ, aliæque id genus nugæ bacchanales, *eo nomine appellat Author propositionis infames illas choreas ac tripudia, insanos larvatorum hominum concursus, aliasque scandalosas ac criminosas actiones quæ ea de quibus agit facinora comitabantur* ludi sunt innoxii, voluptates honestæ, ita ut proprer illos nemo sit à Parochis vel Confessariis, neque absolutione fraudandus, neque rejiciendus à communione, neque ad publicam ullam satisfactionem cogendus.

### DE DISCIPLINA ECCCESIÆ.

### XXVIII.

In eo loco qui ad Sacram Missam divinaque Officia celebranda consecratus est, possunt ex ipsis Ecclesiæ regulis nulla alia præmissâ benedictione sine ullo singulari privilegio corpora humari Christianorum; cum enim ille locus ad sacratissimum Religionis nostræ Mysterium sit inauguratus, ejusmodi consecratio alterius cujuslibet vices supplere potest. Quod si Episcopus istud improbet dici potest majori apud eum in honore ac studio esse putidum cadaver, quam Augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, nihilque tum vivis tum mortuis, injuriosius, nihil nec in sæculares iniquius excogitari posse quam si tales sepulturæ prohibeantur.

### DE EPISCOPALI JURISDICTIONE.

### XXIX.

In hominibus Religiosis id immerito reprehendit Episcopus tanquam pravum ac noxium, quod in eorum Choro, diversæ extent Sanctorum è suo ordine virorum Tabulæ quæ expressos præterea gerant eorum Religiosorum vultus

qui tum aderant cum Imagines illæ pingerentur ; imo neque improbare potest quod in Tabulis Sanctos tertii, ut vocant, ordinis sui homines exhibentibus intersint laïcorum, ejusdem loci species adumbratæ. Illud tanti non est ut reprehendi debeat aut refelli.

XXX.

Non stultè, neque impiè, sed ad summùm inconsultè ac minus prudenter egerunt illi Religiosi qui novum Testamentum Montibus hannoniæ impressum affixis ad muros ac valuas Tabulis, aliisque hujusmodi præmissis apparatibus, palam, in Templi sui vestibulo, quò frequens populorum multitudo confluxerat ad excipiendam Sanctissimi Sacramenti Benedictionem, privatâ authoritate cremaverunt. Diœcesano Antistiti Factum istud iisdem Religiosis in aliquo suo mandato exprobanti non immerito quis regesserit ipsum in libros suos eam impietatis ac stultitiæ labem traduxisse quam iis Religiosis inurere voluerat.

XXXI.

Qui existimat Episcopalem Diœceseos lustrationem signum esse quoddam publicum ac Solemne Catholicæ Societatis, is opinionem sibi fabricavit singularem omnino ac novam, nulloque innixam fundamento. Ea opinio Papas ac Reges Catholicæ Societatis destructores constituit.

XXXII.

Est hoc novæ prorsus & inusitatæ Theologiæ genus nullius neque concilii, neque Doctoris authoritate corroboratum, quod Episcopus universos familiæ cujusdam Religiosos ideo schismaticos apellaverit, quia nimirum illi præsulem ædes suas lustrare ac recognoscere cupientem admittere noluerunt, objectisque ad id templi sui foribus scripto ei publico renuntiaverunt illum se ad Sacram Missam celebrandam nullatenus posse admittere nisi tanquam privatum Sacerdotem. Ea schismatis nota in Sedem Apostolicam ac Reges nostros refunditur, eosque schismatis fautores facit.

XXXIII.

Vexationem ac Tyrannidem cum manifestam omnibus, tum novam omnino & institutis Ecclesiæ contrariam exercet is Episcopus, qui publico mandato sanxit, intentatâ

excommunicationis pœnâ ut ne ulli è Diœcesi sua fideles Divinis Officiis intersint in eorum Religiosorum templo qui ei ad inspiciendas ædes suas venienti templi ejusdem aditum obturaverunt.

XXXIV.

Non potest Episcopus mandatum ejusmodi emittere quod censuras in refragantes indicat, quodque ea quibus ad illud edendum adductus fuerit, delicta verbis acribus ac asperis denotet, quin charitatis leges infringat & ab illâ mansuetudine declinet quam & inculcavit aliis Christus & in omnes ipse exercuit.

### *DE STATU RELIGIOSO*

XXXV.


Qui asserunt Principum Sæcularium authoritatem simul cum Ecclesiâ conspirasse ad retundendos Regularium conatus & consilia dissipanda ii Reges, Summos Pontifices seque ipsos, hostes totius Religiosi ordinis infensissimos profitentur. Præterea universo Regularium ordini singulisque Religiosis familiis, ne unâquidem exceptâ contumeliam inferunt, quam quæ maxima, qui regulares novorum consiliorum Architectos appellant: inurunt quoque turpissimam opprobrii labem Regibus, supremis Senatibus, ac ipsæ Pontificiæ Sedi quos fingunt ad retundendos Regularium conatus & consilia dissipanda conspirasse. Quin etiam duplex fit Apostalicæ Sedi injuria unde illorum immunitates fluunt ac permanant. Uno verbo ministri Calvinistæ nihil unquam in Ecclesiam probrosius evomuerunt quam quæ leguntur in mandato Antistitis Sancti Pontii, videlicet Principum sæcularium authoritatem simul cum Ecclesiâ conspirasse ad retundendos Regularium conatus & consilia dissipanda.

### *DE PIETATE ERGA BEATAM VIRGINEM.*

XXXVI.

Non satis est si quis errorem summoperè execretur. Debet etiam pari in omnes quos illius venenum, infecit odio ferri. Etenim fieri nullomodo potest ut, B. Virgini placeamus absque Fide vivâ, quam Fidem repurgat ac vividam facit summum in homines erroris fuligine afflatos odium.

CONSULTATIO



# CONSULTATIO.

REGULARES IN GALLIA QUIDAM præsulis sui Doctrinam ac rationem totam administrationis conati sunt sparsis in vulgum Libellis suspiciosam facere ac dilacerare. Is Episcopus cum ex ejusmodi Libellis, tum ex alio quodam libro ejusdem authoris sequentes sex & triginta Propositiones excerpsit quibus præcipua accusationum momenta contenta esse videantur. Eas ille Propositiones Sacræ Facultatis Parisiensis Doctoribus excutiendas committit, oratque ut suam de illis mentem aperiant, simul de variis quæ in dictis Propositionibus impetuntur Doctrinæ ac Disciplinæ capitibus, quid sentiant, scripto declarent.

## I. PROPOSITIO.

*Soli qui planè sunt in Theologiâ rudes ac Novitii excusari possent si definitionem hanc ignorarent Concilii Tridentini sess.* 4. *nimirum vulgatam editionem solam esse authenticam, Canonicam, & omnis erroris expertem.*

PRIMA Propositio defendi non potest, perinde falsa tum in jure, tum in facto.

In facto quidem, nempè definitum esse à Concilio Tridentino vulgatam editionem solam esse authenticam, canonicam, & omnis errores expertem.

Quod ut falsitatis convincatur, necesse non fuerit aut recurrere ad Historiam Concilii Tridentini à Palavicino conscriptam *lib. 6. cap.* 17. aut ea legere quæ ab

illis temporibus Theologi ac scripturæ sacræ interpretes docuerunt. Sufficiat sola citatæ sessionis lectio, ut luce clariùs appareat nihil ibi quidquam definiri, vel declarari, nisi inter latinas omnes Scripturæ Sacræ editiones, eam quæ vulgata nuncupatur habendam esse pro authenticâ, & à nemine rejiciendam. *Insuper eadem Sacro Sancta Synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur Sacrorum Librorum quænam pro authenticâ habenda sit, innotescat, statuat ut hæc ipsâ vetus & vulgatâ editio quæ longo tot sæculorum usu in ipsâ Ecclesiâ probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authenticâ habeatur, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Seff. 4. decret. de edit. & usu Sacr. Lib.

Ibi ne ullum quidem vestigium extat ejus ( quod tamen insinuat propositio ) videlicet editionem illam esse omnis erroris expertem. Quamquam verissimum illud est si erroris vocabulo intelligatur aliquid quod vel Fidei vel bonis moribus adversetur. Non ibi præterea declaratur, vulgatam illam editionem solam esse authenticam ac canonicam, neque innuit Concilium velle se eos titulos ac nomina primigeniis codicibus aut versionibus græcis præripere, aut aliis ejusmodi probatis editionibus cum quibus latinam versionem comparare nullatenus instituit.

Jam vero jus ipsum, ipsa propositio in se spectata, editionem scilicet vulgatam solam esse authenticam, canonicam, & omnis erroris expertem falsa quoque est & ab omni prorsus specie veri aliena.

Ut nulla mentio fiat de genuinis utriusque Testamenti textibus: græca antiqui Testamenti versio quæ septuaginta interpretum appellatur per quingentos & ampliùs annos pro authenticâ canonicâ, &c. ab universa Ecclesia habita est : neque ex eo tempore quidquam accidit quod authoritatem ei suam potuerit derogare. Hâc unâ versione etiamnùm Græca Ecclesia utitur. Narratur in Romana illius editione, hanc fuisse Synodi Tridentinæ voluntatem atque consilium ut illa versio de novo typis

mandaretur. Quin etiam Sixtus V. quo Pontifice absoluta est ea editio quæ Gregorii XIII. præsessoris sui tempore fuerat incepta, magno studio fidelibus præcipit ut eâ versione ad clariorem vulgatæ & sanctorum Patrum intelligentiam utantur, jubet ab omnibus recipiatur & retineatur, ac tandem diligentissimè vetat ne quis quid ei vel addat, vel detrahat.

Hinc patet turpis ac crassus error propositionis de quâ agitur, solos in Theologiâ rudes ac novitios, &c.

Equidem post Concilium Tridentinum non defuerunt authores quidam qui non aliam esse editionem authenticam præter vulgatam existimarint. Sed contraria opinio non modo ab Ecclesia nusquam damnata est, sed ne notata quidem, uti Palavicinus observat *n. 9.* & hanc multi non infimæ notæ Theologi à Palavicino *n.* 10. nominati & in ipso Concilio & posteà quoque tenuerunt, vixque jam reperiantur qui aliud sentiant.

Nec sine turpissimo errore tria hæc, editionem authenticam canonicam & omnis erroris expertem propositio ità jungit ac confundit, ut postremæ duæ voces nonnisi ad primam explicandam, quæ ex tribus una in loco citato extat, usurpari videantur. Verumtamen latum inter ea verba discrimen intercedit, quæ usu & significatione à se invicem omnino dissita sunt & aliena. In eum errorem multi è protestantibus impegerunt. Walto scriptor alioqui sincerus ac diligens canonicitatem videtur cum authenticitate confudisse eo loci ubi arguit Concilium Tridentinum quòd sibi jus arrogaverit authenticitate vulgatam editionem donandi *prol.* 10. *n. ult.* Sanè minus feliciter intellexisse videtur quid significet ea vox, authentica, dum ait Ecclesiam posse quidem versionem declarare authenticam, facere autem non posse, quomodo non potest Librum canonicum facere, sed declarare. *Ut enim librum non Canonicum non potest Canonicum facere, sed tantùm testificari vel declarare quosnam libros ipsa pro Canonicis habeat, & à majoribus receperit, sic non potest versionem authenticam vel cum textu originali æqualem facere (hoc enim soliùs Dei est qui divinam authoritatem cuilibet scripto conferre potest) sed tantum declarare versionem fi-*

*delem esse & fonti suo conformem, vel si menda irrepserant ea corrigere, & in publicis Ecclesiæ Officiis usum ejus imperare.*

---

## II. PROPOSITIO.

*Id institutum est, ea mens Genevensis quidem & Batavicæ, non verò ejus quæ Christi est, Ecclesia ut Scripturam Sacram manibus promiscuè omnium permittat, cujuscumque tandem ætatis, sexus, ingenii, conditionis, ac capacitatis illi sint, sinè ullâ restrictione.*

CENSURA quâ in hac propositione notatur sententia orthodoxi sensus patiens & maximè capax, ea, inquam, censura, immodica est, injusta, imò falsa & temeraria.

Si illius censuræ authores se intra hos fines continuissent, ut dicerent tantummodo Ecclesiæ menti maximè consonum & consentaneum videri ne omnibus omninò hominibus Scripturæ Sacræ lectio indiscriminatim suadeatur, esse enim metuendi locum ne multi eâ, ingenii sui vitio abuterentur nihil quidquam protulissent quam quod in iis censuris extat quibus Sacra Facultas Parisiensis Erasmi scripta ac versionem Bibliorum à Renato Benedicto factam perstrinxit.

Sed eadem quoque retinenda moderatio fuisset, eo temperamento tractandæ res quo usa in hac occasione est Sacra Facultas Parisiensis.

Neque enim ut hæreticas, aut etiam hæreticum ingenium redolentes eas propositiones notavit quas Erasmus super Scripturæ Sacræ lectione ediderat. Illud tantum declaravit ratione habitâ temporum iniquorum hominumque malignitatis quorum præceps in novitatem animus ejusmodi lectione multoties abusus fuisset, non esse eam quibusvis temere hominibus permittendam. *Quamvis in quamcumque linguam vertantur sacræ litteræ suâpte naturâ sanctæ sint & bonæ, quanti tamen sit periculi permittere*

*passim lectionem earum in linguam vulgarem traductarum absque ulla explicatione idiotis & simplicibus eis abutentibus, nec eas piè & humiliter legentibus, quales plurimi nunc reperiuntur satis indicarunt Valdenses, Albigenses & Turelupini qui inde occasione sumptâ multos errores disseminaverunt quare hac tempestate, perspectâ hominum malitiâ; periculosa ac perniciosa existit hujusmodi traductio, loquendo de omnibus scripturæ libris indifferenter, nec sicubi paucis esset utilis propterea temere esset omnibus permittenda.*

Si Erasmum redarguit qui minus ex regulis sanæ doctrinæ locutus sit tum cum eam lectionem mulieribus coriariis, agricolis, fabris & latomis commendavit, hoc est generi hominum rudiori ac simpliciori. *Exclamant indignum facinus si mulier vel coriarius loquatur de sacris literis, me authore sacros libros leget Agricola, leget Faber, leget, Latomus.* Eò demum severitatis devenit perspectâ multorum tunc temporis impudenti temeritate, innuitque illud sibi consilium nunquam improbandum fuisse si Erasmus quasdam ad id conditiones adjecisset.

Hæ porro sunt conditiones. 1. Ut homines hujusmodi legerent quosdam duntaxat è sacris libris. 2. Ut explanatione uterentur aliquâ, cujus ope faciliores illi & ad captum suum accommodatiores evaderent. 3. Ut ei se lectioni pio ac devoto prorsus Ecclesiæ Pastoribusque animo, dederent. 4. Ut ne inde occasionem arriperent conciones ac reliquas id genus institutiones publicas spernendi aut negligendi. *Neque eis interdicit usum quorumdam sacrorum librorum qui cum explicatione convenienti ædificationi morum sint accommodi, si sic tamen tales libri ab ipsis legantur piè ac sobriè, citra supercilium & arrogantiam, ut non inde contemnant prædicationes nec à crebrâ verbi Dei auditione retrahantur; proinde hæc propositio absque præscripto moderamine posita, sui assertorem sanæ doctrinæ non satis consentire demonstrat.*

Ea vero de qua agitur propositio longe dissimilis est & majorem multo præ se fert audaciam.

Ac primo quidem ibi ut hæreticam, aut saltem ut hæresi vicinam, ut Genevensis ac Batavicæ Ecclesiæ menti congruentem omnino sententiam eam arguunt, posse ma-

nibus omnium Scripturas Sacras permitti, quam profectò ſententiam nuſquam Eccleſia condemnavit, aut inter cæteros Calvini errores recenſuit. Generalibus quidem & quæ in alienum ſenſum perperam detorqueri poſſent verbis exprimitur relata in propoſitione ſententia. Id tamen facile omnes animadvertunt, non eo tendere voces ejuſmodi vagas ac generales ut piam illam moderationem ac cautionem excludant quibus nonnunquam in certis occaſionibus uti expedit, quæ ſi cautio ac moderatio adhibeantur certo certius eſt Scripturæ Sacræ lectionem ab Eccleſia non prohiberi. Præterea cum eadem ſententia verbis propemodum æque vagis & generalibus apud B. Chriſoſtomum, apud alios Patres, apud Authores catholicos enuntietur, privati hominis non eſt hæretici eam ingenii arguere, etiam ſi aliquid in illa reprehendendum animadvertere ſe arbitretur.

Deinde vero timendi locus eſt ne ex illa quæ ibi fit Genevenſis ac Batavicæ cum Eccleſiâ Chriſti oppoſitione detur hæreticis occaſio Catholicam Eccleſiam calumniandi quaſi quæ Scripturam Sacram parum neceſſariam imo periculoſam exiſtimet palamque dictitandi eam apud nos non tantam venerationem, exiſtimationem, amorem quanta apud ſe obtinere. Quod Catholicam Eccleſiam inter & hæreticorum ſectas diſcrimen intercedit, quod Scripturam Sacram ſpectat, illud præciſe deſumi non debet à verſionibus aut libertate legendi ſed à facultate illam interpretendi ac de illa judicandi, quam poteſtatem Calvini & Lutheri ſectatores cuivis homini privato tribuunt, Concilium vero Tridentinum ad Eccleſiam ſolam pertinere definivit. *Seſſ.* 4. *Decr. de edit. & verſ. ſacr. lib.* Hanc ob rem inſurgamus ſi lubet in Calviniſtas, non autem ideo vituperemus quod Scripturam Sacram lectitent atque ediſcant. Illud ſapienter eſt à Peliſſonio obſervatum in ſuo de Euchariſtia tractatu qui mortuo demum authore in lucem editus eſt. *Scripturas Sacras legunt ac ſciunt fratres noſtri : Neque ipſis crimini verti debet quod ſciant, quod legant, ſed quod in ſuo quiſque ſenſu legat, ſeque ſolos eos eſſe arbitrentur qui illas intelligant. Sect.* 11. Is liber à pluribus tum Epiſcopis, tum Archie-

piſcopis probatus eſt tum etiam quadantenus ab Innocentio XII. ſummo Pontifice cui dedicatus fuerat. Hujus namque nomine Cardinalis Albanus ad Abbatem Faureferarium ſcribens aſſerit eo libro ſtabiliri ac explicari Eccleſiæ doctrinam, illumque maximè idoneum eſſe ad revocandos ab erroribus Calviniſtas. *Ad id genus ſcriptionum pertinet quibus præcipuè delectatur ſanctitas ſua, quod videlicet non ad inutiles & ſupervacaneas conteſtationes excitandas, ſed ad ſtabilienda elucidandaque Catholicæ fidei dogmata revocandoſque ab erroribus heterodoxos collimat. Id profectò egregiè præſtitit hoc in opere Peliſſonius.* Epiſt. ſcrip. Roman. 20. April. 1694.

Cardinalis quidem Richelius eo loci ubi ſtatum controverſiæ vel quæſtionis exponit quâ Catholici à Calviniſtis diſſident ſuper Scripturæ Sacræ lectione, his eam quæſtionem verbis enuntiat: ſit omnibus indiferenter Scripturæ Sacræ lectio permittenda, nec nè, faceturque hac in re fieri à nobis perſonarum temporum ac locorum exceptionem. *Lib. de præcipuis fidei articulis cap.* 4.

Ex his vero quæ locum hunc ſtatim præcedunt ac ſequuntur liquidò conſtat non ſubduci ab Eccleſiâ fidelium manibus Scripturam Sacram niſi ob pravas quas in iis agnoſcit aut timet diſpoſitiones, illudque tantum hæreticis ab eâ exprobari, quod dum omnibus hominibus promiſcuè ſacrorum librorum lectionem permittunt, tacitè declarent faciles ac planos etiam ſimplicioribus eos eſſe omneſque id aſſequi poſſe nullo alio adjumento præter internum quo ſe afflari putant Spiritus S. inſtinctum ut ſuam in illis ſalutem clarè ac diſtinctè agnoſcant.

Eò referuntur omnes quæ à Cardinali invehuntur perſonarum temporum ac locorum exceptiones.

In eo conſiſtit illa quæ fit à nobis, inquit, perſonarum exceptio quod iis duntaxat hominibus ſacrarum litterarum lectionem concedamus qui ſufficienti capacitate inſtructi ſunt ut poſſint aliquam inde utilitatem haurire, non vero illis qui ejuſmodi lectione ſuo damno abuterentur. Ubi per illam quam poſtulat in iis quibus Scripturæ Sacræ lectionem concedit capacitatem non ingenium aut ſcientiam intelligit, ſed fidem, docilitatem, poſtremo ita affec-

tum animum ac constitutum, ut edoceri amet summò studio, & interpretationes ultrò admittat illorum locorum quibus hæretici contra veritatem abutuntur : quod clariùs pateb.t si legantur eæ quas Paulo post affert rationes cur integrum sit omnibus catholicis Scripturas Sacras certis temporibus ac locis legere.

Eodem principio nititur temporum ac locorum exceptio. Id autem observandum diligenter est Galliam hic à Cardinali Richelio inter ea loca recenseri, in quibus catholicis licet Scripturas Sacras legere. Tum ut iisdem se tueantur armis quibus impugnantur, tum quia fidei suæ tenaces cum sint haudquaquam timendum videtur esse ne ejusmodi lectione abutantur, quæ una res propositionem à fundamentis eruit, ab authore videlicet Gallo & in ipsâ Galliâ scriptam iis temporibus cum adhuc multum laboris exhauriendum superest ut profligentur omnino & radicitus extirpentur funestæ hæreseos reliquiæ, in eâ vero regione ubi roborati in suâ fide catholici non jam ita prono ac labili in pristinos errores animo sunt, sed in id prius incumbere debent ut scripturarum ope ac præsidio muniant se contra morum dissolutionem seque ab illusionum novarum contagione servent incolumes.

Tertiò in hac secunda propositione, ratio cur sacrarum litterarum lectio prohiberi debeat petitur, ex ætate, sexu, ingenio, conditione, capacitate, non autem inde, unde potissimum petenda esset ex defectu fidei, docilitatis, obsequii, & aliis id genus pravis affectionibus animi quæ non tam ab ipsa natura hauriuntur quam culpâ nostrâ procreantur in nobis atque invalescunt.

Ea quidem quæ damnatur in hac secunda propositione sententia Scripturæ Sacræ lectionem quibusvis promiscuè hominibus permittit, sine ulla restrictione. Sed illæ voces nullo negotio explicantur ac determinantur ipso orationis tenore ac serie. Ibi namque cum dicitur promiscuè & sine ullâ restrictione, id ita accipi debere, sine ulla restrictione ætatis, sexus, ingenii, conditionis ac capacitatis nemo est qui non videat. Quibus verbis innuitur neque ætatem, neque sexum, neque ingenium, neque conditionem, neque capacitatem legitimè prætexi posse quo

minùs

minus Scripturæ Sacræ lectio fidelibus permittatur. Quo quid verius?

Ætas quidem legitimo prætextui esse non potest ut quis à lectione sacrarum litterarum arceatur. Timotheo namque laudi vertit Apostolus quod eas ab infantiâ didicerit. *Ab infantiâ sacras litteras nosti.* 2. ad Timoth. 3. 15.

Non sexus. Beatus quippè Hieronymus puellis ac mulieribus multis author est, eas ut legant.

Non etiam ingenium præcisè; neque enim adolescentulæ Paulæ tum omnino maturuerat animus, cum ipsius matri Letæ suadebat Hieronymus, ut ediscendos ab ea seriatim & ex ordine Scripturæ Sacræ libros curaret. *Discat 1. Psalterium, his se canticis avocet, & in proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In Ecclesiaste consuescat quæ mundi sunt calcare. In Job virtutis & patientiæ exempla sectetur: ad Evangelia transeat nunquam ea positura de manibus. Apostolorum Acta & Epistolas totâ cordis imbibat voluntate: cumque pectoris sui cellarium his opibus locupletaverit, mandet memoriæ Prophetas, & Regum, & paralipomenon libros; Esdræ quoque, & Hester volumina. Ad ultimum sine periculo discat Canticum Conticorum*, Epist. 7. Ad Lętam ante finem. Sanctus quoque Augustinus ait Scripturam Sacram patentem ac perviam omnibus esse, tametsi pauci sint admodum qui illius altitudinem scrutari penitus & pervadere queant; eâ nutriri simpliciora ingenia, sublimiora delectari. *Modus autem ipse dicendi quo Sancta Scriptura contexitur, quam omnibus accessibilis, quamvis paucissimis penetrabilis, his salubriter & parva corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia.* Epist. 137. ad Volusianum n. 18.

Neque vero conditio lectionem sacrorum librorum debet impedire. Chrisostomus eos jubet etiam à sæcularibus hominibus legi. (Κοσμικοὶ βίωτικοὶ.) ab iis quos rei familiaris, uxoris, liberorum cura distinet ac prægravat. *ἀκούσατε ὅσοι ἐστὲ κοσμικοὶ, καὶ γυναικὸς καὶ παίδων προΐστασθε πῶς καὶ ὑμῖν ἐπιτρέπει (ὁ ἀπόστολος) μάλιστα τὰς γραφὰς ἀναγινώσκειν.* Homil. 9. in Epist. ad Colloss. *ἀκούσατε παρακαλῶ πάντες οἱ βιωτικοὶ, καὶ κτᾶσθε βίβλια*

*φάρμακα τῆς ψυχῆς, εἰ μηδὲν ἕτερον βούλεσθε, τὴν γοῦν καινὴν κτήσασθε τῶν ἀποστόλων τὰς πράξεις, τὰ εὐαγγέλια διδασκάλους διηνεκεῖς. Ibid.*

Poſtremò defectus capacitatis ex ſe huic lectioni non poteſt eſſe obſtaculo. Auguſtinus Epiſt. 137. ad Voluſianum ait Scripturam Sacram in planis ac clarioribus locis imperitorum æque & doctorum cor affari. *Ea quæ aperta continet, quaſi amicus familiaris ſine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum.* In obſcurioribus autem eſſe tamen ejuſmodi ut tarda & parum erudita ingenia deſperatione aſſequendi non removeat. *Mens tardiuſcula & inerudita,* invitare eam omnes ut quod præ ſe fert dilucidum ac facile, eo nutriamur, quod abſtruſum occultat, eo exerceamur. *Ea vero quæ in myſteriis occultat, nec ipſo eloquio ſuperbo erigit quo non audeat accedere mens tardiuſcula & inerudita quaſi pauper ad divitem, ſed invitat omnes humili ſermone, quos non ſolum manifeſtâ paſcat, ſed etiam ſecretâ exerceat veritate.* n. 18.

Quapropter non ab ætate, non à ſexu, non ab ingenio, non à conditione, non à capacitate peti præcisè ratio debet cur Sctipturæ Sacræ lectio prohibeatur. Si qui ſint, quibus ejuſmodi lectio non expediat, id ab alio quodam fonte promanare neceſſum eſt: Nec vero ſine magna ſapientiæ laude in damnandis Eraſmi propoſitionibus innuit facultas Pariſienſis ſacras ſe ſcripturas manibus ſubducere dumtaxat eorum, qui ſunt in aliqua novitatis, temeritatis, aut ſuperbiæ ſuſpicione, quibus demum veretur ne fides, docilitas ac debita Paſtoribus Eccleſiæ deſit reverentia.

Hæ ſunt animi malè affecti pravæ diſpoſitiones quas hæreticis objiciebat Cardinalis Richelius in præcipuis fidei articulis *cap.* 4. Etenim, inquiebat, explicans quidnam inter illorum & Eccleſiæ Catholicæ ſententiam interſit diſcriminis. *Plebi vos palam dictitatis non modo nihil ipſis ex ſcripturarum lectione periculi creari ne in hæreſim impingant, quod affirmat Eccleſia Catholica, ſed etiam hanc eos inde utilitatem percepturos maximam ut Theologi evadant, ut verum à falſo ſciant in ſcripturis diſcernere, ut ſuopte inſ-*

*tinctu suam in iis salutem reperiant, quæ res bene multos in errorem agit præcipites.* Verum crimen, & in protestantes semper intorquendum, quo sine crimine nequidquam idem ipsis exprobres ac author propositionis, quod videlicet quorumvis hominum manibus Scripturas Sacras credant. Quod quidem non jam vituperii sed laudis loco esset, si in id studiosè incumberent, ut qui sacros libros ipsis suadentibus ac instigantibus legunt ita comparato animo legerent ut fructum ex iis aliquem possent percipere.

Ad ea si quis occupaverit ab hæreticis quoque fidem, docilitatem, & obsequium postulari in iis quibus Scripturæ Sacræ lectionem permittunt reponetur eos hac in re à principiis suis deflectere, sibi non constare, idemque sentire nobiscum, ut ipsis objecit Cardinalis Richelius: *Talia docere, quid aliud est quam nobis assentiri, ac sibimet adversari, quid aliud quam quod usurpctis ipsi, illud in nobis condemnare?* Lib. de præcip. art. cap. 4.

Præterea in tractatu quem eo fine edidit ut animum ab errore recipiant ii qui ab Ecclesia desciverunt. *Lib. 4. cap. 16.* quo loco disserit de prohibitâ Bibliorum in vulgarem linguam translatorum lectione, duo expendit, factum, & jus, hoc est utrum revera vetuerit Ecclesia ne sacri codices vulgari sermone donati legerentur, tùm an id vetare potuerit ac debuerit.

Quod ad primam quæstionem attinet de facto. Jam primùm omnium dicit in catholicis extitisse præcellentes ingenio & pietate viros, qui senserint Ecclesiam nè sacræ litteræ perperam explicarentur potiùs quàm ne legerentur cavisse, atqui certo certius præstantes illi viri Genevensis ac Batavicæ Ecclesiæ contagione minimè infecti erant.

Deindè subjicit fateri se cum iis eo potissimum spectare Ecclesiam, ut impediat quominùs Scripturæ Sacræ sensus affingatur alius à Spiritus sancti sensu. Ergo sublato semel indocilitatis metu tolletur etiam hæc ratio.

Postremò dicit Bibliorum vernaculo sermone redditorum lectionem fuisse à summis Pontificibus Pio IV. Sixto V. & Clemente VIII. prohibitam. At verò, pergit idem Cardinalis, dico non eam fuisse illorum Pontificum men-

tem ut sacros libros quibuslibet hominibus interdicerent sed aliquibus duntaxat, quos satis apertè, designat ipsa prohibitio, idque ad certum tempus quod postmodum probat ex regulis Romani Indicis.

Porrò etsi ejusmodi leges authoritatem in Galliâ quandam obtinuissent, facilè deprehendemus abiisse jàm illa tempora, nec esse cur timeatur ne similia mala obrepant, si modò Cardinalis eruditissimi mentem ac totam ratiocinii vim perceperimus.

Enim verò, inquit, eodem prorsus modo Scripturæ Sacræ in vulgarem linguam translatæ lectio prohibetur, quo librorum eorum qui controversiæ quæstiones continent, ut autem veterum controversiarum libris interdictum est hodie nemini, ita pariter, ubi semel extinctæ ac penitus compressæ fuerint hujusce ætatis hæreses nulli non licebit recentiorum controversiarum libros pertractare. Cum igitur eadem utriusque vetiti ratio sit, quemadmodum restincto semel hæreseon incendio, sua alteri inhibitioni vis non constabit ampliùs ne apud eos quidem qui illâ nunc obligantur, ita nec alteri.

Unde eruit. Illud igitur pro certo habendum est, nunquàm neque ab Ecclesiâ, neque à summis Pontificibus vetitam esse omninò sacrorum librorum lectionem vernaculè editorum: sed illam inhibitionem in certas duntaxat personas cadere tandiu duraturam, quandiù propter hæreses erit à pravis expositionibus aliisque ejusmodi malis metuendum.

Quod ad jus attinet. Contendit idem Cardinalis, meritò potuisse Ecclesiam Scripturæ Sacræ lectionem inhibere, ut temerariis privatorum hominum interpretationibus occurreretur.

Illud est expressum fideliter Richelii Cardinalis argumentum, quòd si ad hocce tempus revocetur, quo tempore fideles Ecclesiam libenter audiunt, neque in id ullatenùs propendere videntur ut Scripturam Sacram ad pravos usus detorqueant, probat primò, non jam esse ampliùs cùr interdicatur ejus lectio; deindè earum inhibitionum rationem neque ab ætate neque à sexu, neque ab ingenio, neque à conditione, neque demum à capa-

citate fuisse petitam, sed à solo metu malorum, quæ invehere potuissent indocilitas ac temeritas hominum eorum qui hoc sibi jus arrogabant, ut Scripturas Sacras propriis ingenii sui luminibus explicarent.

Quartò facilè deprehenditur eo respicere secundam hanc propositionem ut generalem & majori parti fidelium observandam regulam præscribat ne Sacra Scriptura legatur. Forsan id expedierit turbidis illis ac calamitosis temporibus cum insanas plærorumquè hominum mentes pervicax arrogantia occupaverat summæ ignorantiæ sociata. Sacra Facultas Parisiensis hanc nobis luctuosam imaginem exhibet illius temporis qua Erasini scripta condemnavit. *Rectè perpensâ multorum hujus temporis impudenti temeritate, indignum facinus existimandum est quod idiotæ & simplices suo judicio sacras litteras legant in suam linguam conversas, & de illis disserant, aut disceptantes de earum difficultatibus tractent.* Ea res evicit ut rationem haberet numeri majoris. *In re namquè ad salutem non necessariâ potius consulendum est multorum profectui ipsam interdicendo, quam paucorum utilitati eam permittendo cum gravi multitudinis incommodo.* Eædem erant utrique illi tempori offusæ tenebræ quo & Pius IV. regulas indicis promulgari, & easdem Typis rursum mandari Clemens VIII. jussit cum additis, Sixti V. Inciderat quoque Gallia in ejusmodi tempora plena caliginis ac periculi, quibus Gallicorum Bibliorum maxima pars erant hæreticorum operâ vel traducta vel vitiata, cum Narbonensis Synodus decretum istud instituit cap. 3. de libris vetitis. *Biblia vero sacra idiomote Gallico conscripta, legere aut domi retinere nemini liceat, nisi ab Episcopo, aut ejus Vicario generali expressâ in scriptis obtentâ licentiâ, quam non concedent nisi iisdem visis, lectis & approbatis, ne venenum ab hæreticis sparsum in permultis versionibus, leviter serpens animas alioquin pias inficiat.* Ubi observare est nihil aliud ab Episcopo aut Vicario ipsius Generali cautionis requirere Concilium in permittendâ Bibliorum vulgari idiomate expressorum lectione, quàm ut ea legant, examinent, videantque, nùm ab hæreticis adulterata aut infecta non sint. Celebratum est illud Concilium anno 1609. quò tem-

pore multùm grassabatur hæresis magnâque in Galliis ac præsertim in Narbonensi gratiâ & authoritate pollebat. Abierunt calamitosa illa tempora, sic existimamus omni nùnc curâ, si unquàm alias providendum esse ut intelligant, tùm antiqui fideles, tùm recens ad fidem conversi argumento fuisse cur Scriptura Sacra Gallico sermone donata prohiberetur, non ipsam Scripturam Sacram, sed pravam hominis dispositionem, atque adeò sic statui oportere, videlicèt votis expetendum esse omnibus, ut à fidelibus l·ctitetur, subtrahaturque dumtaxat iis, qui nè illâ abutantur, legitimam suspicionem incurrunt. Hanc Cardinalis Richelius regulam stabiliebat in ipso ferventis maximè hæreseos æstu. *Scripturam Sacram vulgari linguâ exscriptam interdicimus nonnullis qui eâ abuti possent, permittimus autèm iis, qui fructus indè aliquos percipere poterunt.* Lib. de præcip. art. cap. 4.

Eamdem omninò viam iniit author libri cui titulus est (*Reflexions sur la Religion*) ad secundum monitum Domini Leibniz sapienterque rationem subjecit diversæ hac in re Ecclesiæ consuetudinis, quæ ultimo desinente & hoc ineunte sæculo, pluribus saltem in locis, Scripturæ Sacræ lectionem vulgò interdixit, his autem posterioribus annis benè multa novi Testamenti exemplaria, aliosque è Sacris Bibliis Libros in Gallicum sermonem translatos circumferri jussit manibusque omnium, ac præsertim eorum, qui ab errore nupèr resipuerant, permisit. *At enim perperam est populo sacrorum codicum lectio interdicta*, ea est protestantium objectio, cui respondet laudatus author, ut evincat non ansam inde accipere eos debuisse se se ab Ecclesiâ Catholicâ segregandi. *Reponet ad ea Cardinalis du Perron illâ re nihil aliud agi quam subtrahi ægro panem, eidem cum malignæ febris æstus deferbuerit restituendum: expectate aliquandiù non semper valebit ea quæ ad disciplinam, non ad doctrinam pertinebat prohibitio. Erit aliquando, & jam affulget, illud tempus cum sacri libri in manibus omnium versabuntur*, ejus libri author est Dominus Pelissonius cujus omnia ad religionem pertinentia opera plurimi præsules inter approbandum ejus de Eucharistiâ tractatum insertis obitèr laudibus commendaverunt.

Consuli potest Cardinalis du Perron ab authore laudato citatus, in responsione ad magnæ Britanniæ Regem lib. 6. c. 4. 5. & 6. ibi si minus eadem omnino verba quibus utitur dictus author, at certè sensum ac fundamentum reperire est illius responsionis, nimirùm Scripturæ Sacræ prohibitionem ad disciplinam pertinere, quæ pro varia temporum ac locorum ratione varia esse potest.

Ut profligetur ea quam hîc expendimus propositio, satis est si legatur quinti capitis initium. *Quas adhibuerunt sancti Patres, ut auditores suos ad Scripturæ Sacræ lectionem nonnunquàm hortarentur, nonnunquàm contra conquererentur legi eam universalius, erant illæ ex locis ac temporibus suspensæ occasiones; quæ proindè cum sint varietati temporum, ac locorum obnoxiæ, quæ sors est, probabilium & vagarum propositionum, oppositiones pati possunt & contrariis sibi invicem cohortationibus locum dare, illæsâ singularum veritate.*

Eâ utitur Cardinalis du Perron temporum ac locorum differentiâ, ut PP. Chrysostomum & Hieronymum in concordiam revocet, quorum ille ad Scripturæ Sacræ lectionem fideles instigat, hic conqueritur quod eam omnes promiscuè legerent, illudque sibi arrogarent, ut eam intelligerent ac interpretarentur. Ita locutum esse Chrisostomum ait, ut Paganos Christianam religionem nuper amplexos à lectione profanorum Philosophorum ad Scripturam Sacram avocaret, atquè ità provideret nè rursùs ad Paganismum devolverentur. Ad extremum concludit, cum mutata temporum ratio sit B. Hyeronimi conquestiones Chrysostomi cohortationibus esse nunc utiliores.

Ex adducto in ipso capitis illius limine principio sequitur perperàm fuisse ab authore propositionis condemnatam sententiam eam quâ omnes ad Scripturæ Sacræ lectionem impelluntur cum illa sententia, & quæ ei opponitur æquè possint in medium proferri illæsâ utriusque veritate.

Jam verò revocatâ ad hoccè tempus quam idem Cardinalis ex principio suo eruit, conclusione, erit alio prorsus modo loquendum ac ille suo tempore loqueba-

tur. Neque enim, si expedire Chrysostomo visum est, ut Sacras Scripturas legerent ii qui ab Ethnicâ superstitione nupèr emerserant, minori nunc studio incumbendum nobis est ut recens conversi ab hæreticorum Bibliorum lectione ad catholicas eorumdem versiones animum advertant. Sic ergo habendum est, B. Hyeronimi conquestionibus utiliores esse hac tempestate B. Chrysostomi cohortationes : aut potiùs præcipienda cum Chrysostomo Sacræ Scripturæ lectio, conquerendum autem unâ cum Hyeronimo de illis qui tametsi rudes sint & imperiti, id tamen quasi pro suo sibi jure vindicant ut scripturam sacram doceant atque interpretentur. Ea res B. Hyeronimi conquestioni locum dedit in Epistolâ 103. ad Paulinum (quem locum citat Cardinalis du Perron. *Sola Scripturarum ars quam sibi omnes passim vindicant ... Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant, alii adducto supercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur, alii discunt, pròh pudor à fœminis quod viros doceant, & ne parum hoc sit quadam facilitate verborum, imò audaciâ edisserunt aliis quod ipsi non intelligunt.*

Quinto Scripturam Sacram in universùm propositio nominat ejusque lectionem prohibet, nè exceptis quidem locis ac libris quibusdam quæ manibus omnium credi possunt.

Profecto non satis attendit author propositionis in quos homines recideret atrox quæ ibi conflatur accusatio. Si enim qui Scripturam Sacram manibus omnium permittunt, ii Genevensis ac Batavicæ Ecclesiæ instinctu aguntur, hunc ergò instinctum secuti sunt plurimi præsules qui varios scripturæ libros maximè verò Psalmorum ac novi Testamenti in Gallicum sermonem conversos non probaverunt modò sed etiam omnibus Diœcescon suarum fidelibus legendos proposuerunt ac mandaverunt. Illustrissimus D. de Perefixe Archiepiscopus Parisiensis, vir propositionis authori haudquaquam suspectus ità loquitur in permittendâ novi Testamenti à Patre Amelote translati editione, cum notis ejusdem Gallicis

& Latinis. *Non dubitantes quin ejus lectio futura sit omnibus quos regimini nostro Deus subjecit, utilis ac perjucunda si modo ad eam humili ac demisso animo accesserint.* Quæ quidem verba exscripsimus, eo libentiùs quòd præterea quàm novum Testamentum, quæ pars est Scripturæ Sacræ non minima, quorumvis hominum manibus permittant, *omnibus quos regimini nostro Deus subjecit*, in id etiàm consentiant, quod jam est supra observatum, in permittendâ fidelibus sacrorum codicum lectione nihil aliud caveri oportere nisi ut eos demisso ac obsequenti animo legant.

Ex his omnibus eruitur propositionem illam secundam immodicis, & ultra legem tendentibus verbis exprimi, censuram injustam continere, esse falsam atque ejusmodi ut Ecclesiam Catholicam in suspicionem ac invidiam adducere possit.

---

## III. PROPOSITIO.

***Concilium Tridentinum certas leges ac regulas fixit; easque authenticas & ab Ecclesiâ universâ receptas quibus Scripturæ Sacræ lectio in vernaculum sermonem translatæ prohibetur.***

TERTIA Propositio manifestè falsa est, imponit Sacrosanctæ Synodo Tridentinæ, ejusque nomine & authoritate abutitur ut fideles ab eâ lectione avocet quæ omnibus saluberrima, nonnullis etiam necessaria esse potest.

Inter ipsos hæreticos unus fortasse Chemnitius reperiatur qui id Concilio Tridentino tribuerit quod ipsi in propositione affingitur: qui tamen Chemnitius modestiùs multò locutus est, neque unquàm contendit Concilium certas regulas ac leges fixisse, &c. Ad decret. 2. sess. 4. *Obliquè igitur, inquit, quòd aliàs apertè faciunt, damnant, si in alias vernaculas & populares linguas scriptura transferatur.* Verum jam pridem Cardinalis Bellarminus eum hâc in re mendacii ac impudentiæ coarguit. *De Verbo Dei lib. 2. cap. 15. Impudenter mentitur.*

Non patet qui Concilii locus occasionem huic propositioni dare potuerit. Sola 4 & 5. sessio decret. de refor. regulas quasdam continent ad authoritatem, libros, editiones, interpretationes & usum Sacræ Scripturæ pertinentes. Ex illis regulis aliæ sunt unanimi Ecclesiæ totius consensu receptæ, quæ vel ad fidem spectant qualis est authoritas & numerus librorum Scripturæ Sacræ, vel ad generalem quamdam disciplinam, qualis est editionis vulgatæ præ cæteris usus, vel ad meliorem morum institutionem qualis est ea regula, quâ prohibetur ne quis Scripturæ Sacræ verba ad profanos usus usurpet: Aliæ ex istis regulis admissæ non fuerunt quæ proindè vim in omnibus catholicis regnis non obtinent: talis est ea, quâ vetatur ne ullus liber, *de rebus sacris*, in lucem prodire possit quin authoris nomen præferat & ab Ordinario priùs fuerit lectus atque approbatus. Quæ res dubio procul in Galliâ nostrâ non observatur. Verùm invenire est omninò nullam quæ Scripturæ Sacræ lectionem in vulgarem linguam conversæ prohibeat; quod ut evidenter pateat satis sit sessionis decreta legere.

Concilii quidem Patribus venerat in mentem ut agerent de vulgari scripturæ Sacræ lectione. Quæstionem eam pertractavere in duobus ante sessionem quartam eo fine habitis comitiis ut. promulganda in eâdem sessione decreta præpararentur. Die 17. Martii an. 1546. Cardinalis Pacecus inter varios quibus erat eundum obviàm ergà Scripturas Sacras abusus id etiam annumerare voluit quod in vernaculam linguam transferrentur omnibusque vulgò ad legendum proponerentur. Hanc sententiam suam ut confirmaret suggessit hæc duo fuisse in Hispaniâ Paulo secundo comprobante prohibita. At eum quam citò, tam acriter refellit Cardinalis Madrucius qui non admonuit modò prohibitioni ejusmodi malè omninò in Germaniâ successurum sed etiam addidit Paulum secundum & alium quemvis Pontificem falli potuisse in eâ re utili judicandâ, quæ revera talis non sit, Paulum autem Apostolum non potuisse cum hortaretur fideles ut semper in ore haberent verbum Dei quod in Scripturis Sacris continetur. *Cumque Pacecus objiceret id fuisse in Hispaniâ interdictum,*

*etiam Paulo secundo comprobante respondit Madruccius Paulum II. & alium quemcumque Pontificem in judicandâ lege conducibili vel non conducibili, falli potuisse, non vero Paulum Apostolum in adducto jam documento.* Palavic. lib. 6. cap. 12. n. 5.

Nihil fuit in congregatione, super ea duorum Cardinalium litè decisum. Qui id narrat Cardinalis Palavicinus, subjungit pluribus non arrisisse allatas à Madruccio rationes. Notandum tamèn est eos ipsos qui tùm argumentis illius non cesserunt, se se intrà præscriptos à Facultate Parisiensi super eâ re limites continuisse; nihil enim quidquam dixerunt, nisi, ratione præsentis temporis habitâ, non expedire ut omnes saltem Bibliorum partes in vulgarem linguam conversæ manibus omnium committerentur. *Non tamen idcircò permittendum eâ tempestate, ut per linguas populares in plebem effluant saltem omnes Bibliorum partes: in earum quibusdam reperiri &c.* Palav. lib. 5. cap. 12. n. 5.

Eadem adhùc, in Congregatione habitâ die 13. Aprilis, & quidèm fusiùs redintegrata controversia est. Quòd autèm in eâ Congregatione efflagitaverint multi ut decretum quoddam à Concilio fieret quo Scripturam Sacram juberet in vulgarem sermonem converti, id argumento est paucos omninò à Cardinali Paceco stetisse, neque majorem fuisse numerum eorum quibus Madruccii rationes non arrisisse narrat Palavicinus. *Valdè discussum fuit ab enixè petentibus, atquè ut à Sanctâ Synodo decretum fieri deberet multis rationibus contendentibus, nè præsertim qui linguam Latinam ignorant lectione Sacrarum Scripturarum carerent.* In actis Con. Trid. apud Rainaldum an. 1546. n. 42.

Nihil quidquam huic petitioni, ut nec oppositæ Paceci commonitioni datum est. Ea tùm conclusio fuit ut ne quid in alterutram partem diceretur. Devoluta res est ad sententiam Præsidum Concilii qui primum existimaverant non debere proponi quæstionem illam, sed suum cuique nationi usum, suam libertatem id amplectendi quod vel necessarium vel utile judicaret, esse relinquendam.

Supponunt quidèm illi Concilii Præsides ut & Card.-

nalis Paceeus ejuſmodi verſiones in Galliis interdictas. Sèd ea prohibitio nòn alia eſt à cenſurâ Sacræ Facultatis Pariſienſis ſuprà memoratâ. Præterea verò, quòd tùnc temporis prohiberi debebat, id hodiè permitti oportere deincèps judicatum eſt, & ut poſtmodùm declarabitur ſtatutum eſt ab univerſo Eccleſiæ Gallicanæ Clero ut Biblia omnia in Gallicum ſermonem verterentur.

Multæ pòſt celebratum Concilium prodiere ſacrorum librorum editiones, tùm in Gallicam tùm in alias etiàm linguas converſorum non ab hominibus modò privatis ſed ab illuſtri celeberrimorum Theologorum cœtu, vel Epiſcoporum auſpiciis atquè authoritate. Theologi Lovanienſes ſub finem ultimi ſæculi in Gallicum ſermonem Biblia univerſa traduxerunt. Clerus Gallicanus in comitiis anno 1655. celebratis juſſit Gallicè reddi ſcripturam ſacram univerſam: cujus decreti vi electus unus è multis Pater Amelotte qui hanc quam præ manibus habemus novi Teſtamenti interpretationem adornaret. Ejuſdem decreti mentionem facit in litteris ad permittendam novi Teſtamenti editionem conceſſis Rex Chriſtianiſſimus, eâ de re certior factus à D. de Marca Toloſenſi Archiepiſcopo & D. de Bertier Epiſcopo Montalbanenſi quibus illa cura demandata fuerat ut qui huic verſioni operam navaret, inveſtigarent. Leguntur etiàm Dom. Bituricenſis Archiepiſcopi comitiorum illorum Secretarii, necnon & Epiſcopi Montis Albanenſis Præſidum unius, teſtificationes. Ii ne tandem eſſe dicentur illi Præſules ac Theologi qui leges ac regulas Concilii Tridentini authenticas infregerint? Quod ſi contigerit quaſdam proſcribi Bibliorum verſiones, eam v. g. quæ fuerat à Renato Benoiſt inſtructam, de hâc quidèm conceptis verbis affirmat Cardinalis Duperon non ideò fuiſſe Magiſtro Renato Benoiſt litem intentatam quod Biblia vertiſſet, ſed. *Quod GeneVenſem eorum interpretationem edidiſſet quam quidèm ritè correctam à ſe exiſtimans, innumeris tamèn mendis ſcatentem reliquerat quæ menda ab Illuſt. Archiepiſcopo Pariſienſi & à Sorbonâ detecta ac condemnata ſunt.* Reſpon. lib. 6. cap. 8.

Fortaſſe Author propoſitionis pro editis in Concilio

decretis habuit Pii IV. & Clementis VIII. regulas quæ librorum vetitorum indici præfiguntur & vulgò extant ad Calcem Concilii.

Si ad illas regulas attendit duplicitèr hallucinatus est. 1. quod eas Concilio Tridentino tribuerit habueritque pro legibus authenticis & ab Ecclesiâ universâ receptis : Quamvis constet illas in Galliis legum loco non esse, ibique nullatenus observari plurima eorum quæ in illis regulis præscribuntur. 2. Quod in iis animadvertere se crediderit scripturæ sacræ in vernaculam linguam translatæ prohibitionem, quàmvis earum regularum quarta illius lectionem concedat saltèm iis qui hanc ab ordinario veniam acceperint. Id in causâ fuit cur Cardinalis Bellarminus Chemnitium mendacii arguerit qui propositionem ab hâc non ita dissimilem emiserat. Imò verò in tertium quemdam errorem offendit prohibitionem illam latiùs & ultra legem extendendo, quandoquidem constat, ut evincit Cardinalis Richelius, nunquam neque ab Ecclesiâ, neque à Summis Pontificibus prohibitam esse omninò Bibliorum lectionem in vulgarem linguam conversorum, sed eam prohibitionem ad certas duntaxat personas pertinere, tandiù duraturam quandiù propter hæreses erit à pravis expositionibus aliisque ejusmodi malis metuendum.

---

## IV. PROPOSITIO.

*Digna est ea cogitatio quæ vituperio & risu excipiatur si quis dicat omnibus æque fidelibus ab Ecclesiâ proponi cohortationes Sanctorum Patrum quæ in Divinis Officiis leguntur : illam v. g. B. Chrysostomi concionem quæ legitur in secundo Nocturno secundæ post Epiphaniam Dominicæ, quandoquidem Officium Nocturnum in quo leguntur ad solos Ecclesiasticos homines pertinet solique illi ejusmodi rebus imbui tenentur.*

QUARTA propositio periculosa est, Ecclesiæ menti contraria, ea demùm quæ fideles tùm à debitâ Sanctorum Patrum cohortationibus veneratione, tum à

fideles uſque perveniant miniſterio ſaltem Eccleſiaſticorum, quibus ad legendum proponuntur, quid oro veriùs proferri poteſt? Conſtat enim hanc eſſe quadamtenus Eccleſiæ mentem in injungenda Clericis Officii recitandi neceſſitate ut habeant tùm in ore, tum in corde unde creditos ſibi fideles erudiant. *Ut Religionis futuri Magiſtri... potentes ſint exhortari in doctrinâ ſanâ*, ut loquitur Cardinalis Quignonius in Breviarii ſui præfatione. Non poteſt ſine temeritatis nota contrarium affirmari; nec vero procul abeſt ab impudentiâ propoſitionis author qui vocibus faſtidium & arrogantiam omnino redolentibus ſententiam, tam veram, tam piam dignam eſſe dicat quæ riſu & vituperio excipiatur.

2. Indè petitur illius propoſitionis ratio: quod officium Nocturnum ad ſolos Eccleſiaſticos pertineat ſolique illi ejuſmodi rebus imbui teneantur. Quâ in re palam ab Eccleſiæ mente recedit. Solis quidem Eccleſiaſticis munus incumbit ejus Officii recitandi: ſed cum id intendit Eccleſia ut quod in eo illi didicerint, cæteros poſtea fideles edoceant, tum optat vehementiſſimè ut Laici in eaſdem cum clero preces conſpirent, iiſdemque inſtitutionibus erudiantur. Non deſunt etiamnum è plebe qui Breviario perfungantur, non deſunt qui Officio Nocturno præſertim diebus Feſtis & Dominicis adſint. Morem illi gerant Concilio Maticonnenſi anno 585. quod quidem id à fidelibus ad ſanctiorem Dominicæ celebrationem poſtulabat. *Noctem quoque ipſam quæ nos inſperatæ luci inacceſſibili reddidit, ſpiritualibus exigamus excubiis; nec dormiamus in eâ, quemadmodum dormitant qui nomine tenus chriſtiani eſſe noſcuntur, ſed oremus & vigilemus operibus ſacris, ut digni habeamur in regno hæredes fieri Salvatoris.* can 1. Et verò non alios olim ad orandum præter Eccleſiaſticorum libros fidelibus Eccleſia diſtribuebat ut probat Illuſtriſſimus Harlæus Archiepiſcopus Pariſienſis in mandato editioni illius libri præfixo quem ad uſum Laïcorum excudi juſſit; hinc etiam hac ætate noſtrâ, qui ſint pietati fidelium tam laudandæ adjumento, libros ejuſmodi ad uſum Laïcorum vulgandos Eccleſia ſtudioſe curat quibus Officium Nocturnum æquè ac diurnum omne, ſi

ſolemnia feſta ſint, ſi minus pars ſaltem ejuſdem Officii non mediocris continetur.

Præterea non apparet quid rei ſit cur illius propoſitionis artifici venerit in mentem Nocturnum Officium à diurno, aut etiam à Sacrâ Miſsâ ſecernere. Enimverò ſi res ad calculos revocetur, non major Laicis neceſſitas ineſt eas preces ac lectiones cognoſcendi quæ in Officio diurno fiunt quam quæ in Nocturno cum plærique illi ſenſum ac cognitionem aſſequi ex ſe non poſſint earum rerum que palam quidem & apertè inſolenti tamen & ſibi minime notâ linguâ proponuntur quemadmodum igitur illæ tùm preces, tùm lectiones quæ in Miſſa v. g. fiunt ad fideles uſque pertinent qui ſi minùs eas intelligere ipſi, à Paſtoribus tamen quibus id muneris incumbit, ut habet Conc. Trid. *Seſſ.* 22. *cap.* 8. edoceri poſſunt, ita neque eſt cur fideles ab iis precibus & lectionibus excludantur quæ in Officio Nocturno fiunt, etſi enim earum cognitionem aſſequi ex ſe nequeant utpote qui vel abſint vel non intelligant, tamen illarum ſenſum & interpretationem accipere poſſunt à Paſtoribus quos ideo erudit Eccleſia, ut quod ipſi didicerint in fideles poſtmodum refundant.

Hinc eſt quod Illuſtriſſimus Archiepiſcopus Pariſienſis in novo Rituali libro parochis magno ſtudio præcipiat ut ſi quando diebus Dominicis concionem ad populum in pronao non habeant, ejus loco Gallicè legant non Evangelium modo illius diei ſed & Homiliam in id Evangelium intra Nocturni Officii celebrationem lectam, diebus vero ſolemnioribus etiàm ſecundi Nocturni Gallicè redditas lectiones adjiciant. Id diu ante fuerat à Concilio Turonenſi tertio conſtitutum an. 313. Imperante Carolo Magno. *Viſum eſt unanimitati noſtræ ut quilibet Epiſcopus habeat homilias continentes neceſſarias admonitiones quibus ſubjecti erudiantur, id eſt de fide catholica .... &c. & ut eaſdem homilias quiſque apertè transferre ſtudeat in ruſticam Romanam linguam, aut Theotiſcam quo faciliùs cuncti poſſint intelligere quæ dicuntur.* Can. 17. quæ verba Benedictus Levita ſic accipit quaſi ad homilias ſanctorum Patrum quæ in Officio leguntur, reſpiciant.

Ex his quæ ſuperiùs dicta ſunt facilè eſt tertiam propoſitionis partem enucleare in qua dicitur non omnibus fidelibus promiſcuè ſed ſolis Eccleſiaſticis proponi eam B. Chryſoſtomi cohortationem quæ legitur in ſecundo Nocturno alterius poſt Epiphaniam Dominicæ. Ibi ille fideles omnes alloquitur, adeòque fidelibus etiam omnibus ea verba ab Eccleſia proponuntur. Quæ reſponſio vel in iis locis vim obtinet in quibus propter regulas indicis obſervandas non ſine ſingulari quodam privilegio legi poteſt Scriptura Sacra in vernaculam linguam converſa. Ut enim, tametſi neſcia non ſit Eccleſia paucis omninò permittendum eſſe ut ad ſacram menſam quotidiè accedant, tamen innuit nihil ſibi quidquam ita in votis eſſe quam ut id fiat, ita pariter etſi judicaret quibuſdam tantùm hominibus concedendam eſſe Scripturæ Sacræ lectionem ad eam tamen fideles omnes nihilominùs hortaretur. Cujus rei aperta ratio eſt. Nimirùm cum ea lectio, ut & Sacra Euchariſtia, per ſe ſit utilis nec cuiquam ſubducatur niſi qui ut par eſt affectus non fuerit, generalibus ejuſmodi cohortationibus id efficitur ut & ad eam impellantur ii qui jam ritè affecti ſunt, & reliqui admoneantur enitendum ſibi omni curâ eſſe ut ab animo ac corde ſuo pervicaciam ſuperbiam & alia id genus mala quæ ſunt Scripturæ Sacræ lectioni obſtaculo eamque noxiam efficiunt, quam primùm evellant.

---

## V. PROPOSITIO.

*Quantumvis antiqui Doctores Scripturæ Sacræ lectionem omnibus commendaſſent, eam tamen noſtris temporibus non commendarent. Si facerent*, quod quiſquis in mentem induxerit gravem ipſis injuriam faciat ac rebellionis in Eccleſiam inſimulet, *illos audire non deberent, quidquid eſt veri nominis Catholicorum.*

QUINTA Propoſitio ex illarum numero eſt quæ male ſonant & religioſas aures vulnerant. *Male ſonans, piarum aurium offenſiva.* Temeraria eſt, a debita Sanctis

Patribus veneratione declinat, traditionis vim atque authoritatem quantùm in se est debilitat ac frangit, ad extremum sinè ulla veri specie affirmat. *Rebelli in Ecclesiam animo esse oportere quicumque Scripturæ Sacræ lectionem omnibus universè commendant.*

Si unum aut alterum dumtaxat Ecclesię Doctorem nominasset ille Author, mitius aliquantò & tolerabilius statuisset in ea illos fuisse opinione cui adhærere non oporteat, utpotè quæ sit ab Ecclesiæ mente aliena. Sancti Patres labi in errorem singuli potuerunt, neque ullatenus revocari potest in dubium quin possit Ecclesia pronuntiare, imò quin aliquando pronuntiaverit contra privatam quorumdam Patrum sententiam; at enim de antiquis omnino Doctoribus sermonem habere, distrahere, atque opponere ex adverso hinc quidem Sanctos Patres, illinc authoritatem Ecclesiæ quasi quæ ab eorum Doctrina deflexerit & aliquid decreverit ipsi contrarium, id verò pias aures graviter offendit, debitam Sanctis Patribus ac traditioni venerationem subvertit, imò ipsi Ecclesiæ injuriam facit quæ traditionem ab unanimi veterum Patrum consensu repetens, sua inde decreta suasque conclusiones eruit. Ecclesiam Patrum antiquorum doctrinæ contrarium aliquid vel decrevisse vel jussisse nusquam reperietur. Quibus autem non fecerint satis quæ Melchior Canus de Locis Theol. L. 3. Bellarminus de verbo Dei lib. 4. ac cæteri Theologi de vi atque authoritate, unanimi Ss. Patrum consensui insitâ, docuerunt, adeant illi Augustinum lib. 2. contra Julianum cap. 10. & lib. 4. alterius in eumdem Julianum operis. n. 112. Vincentium Lirinensem, postremo Concilium Tridentinum Sess. 4. Decret. 11.

Ex iis quæ in secundam propositionem observata sunt æstimari potest quam falsò hîc asseratur *Rebelli in Ecclesiam animo esse oportere quicumque Scripturæ Sacræ lectionem universè commendant.* Adjici præterea possunt quæ in præcedentem propositionem congesta sunt, ubi dilucidè probatum est Ecclesiam æque ac Sanctos Patres Scripturæ Sacræ lectionem omnibus universim præcipere cum easdem atque illi cohortationes usurpet.

# VI. PROPOSITIO.

*Dubitari non potest quin fidelibus multò utilius esset, si remissa ad Theologos, Concionatores, Pastores, Rectores, Confessarios, & Professores, Legendorum Bibliorum Curâ ipsis aliorum piorum librorum lectio proponeretur.*

SEXTA Propositio falsa est atque eo magis temeraria quo majorem præ se fert confidentiam: injuriam facit sancto Dei verbo quod in Sacris Bibliis continetur, postremò Ecclesiæ menti ac consuetudini, Sanctis Canonibus atque ipsius Concilii Tridentini decretis repugnat omnino ac refragatur.

Hæ notæ omnes in illam propositionem vel ideo congruunt, quod inter eos quibus remittendam esse ait Legendorum Bibliorum curam Clericos ac Religiosos, non annumeret illos Saltem qui Sacris sunt ordinibus initiati, quibus legendam quotidie Scripturam Sacram Ecclesia hoc ipso proponit quod necessitatem ipsis injungat Divini Officii recitandi quo pars Sacrorum Librorum non minima continetur, quibus etiam sancti Canones ac præcipuè Concilium Tridentinum *Sess. 5. de Refor. cap.* 1. tam diligenter præcipit ut illam non legant modo, sed etiam discant ac studeant. In illis autem Clericis ac Religiosis reperiri permultos qui neque Theologi sint, neque Concionatores, neque Pastores, neque Rectores, neque Confessarii, neque Professores nemo est quin fateatur.

Præterea verò falsa quoquè & periculosa evadit ea propositio si attendas ad fideles bene multos qui nec Clerici sunt, nec Religiosi. Est Scripturarum Sacrarum lectio utilissima omnibus qui eas ut decet, hoc est pio, humili, ac submisso animo legunt. Quod si qui eas ita legunt, libros etiam pios non sine fructu legere potuerint, non ideò illas horum causâ deponere debent, nec librum quemvis alium divino illi volumini anteferre.

Quæ hic instituitur pios libros inter & Sacram Scripturam comparatio, odiosa est & a debita divinis oraculis

veneratione aliena ; nunquam est Scriptura Sacra cum ullo alio libro conferenda quin longè omnes antecellere ostendatur : Aut potiùs omni comparatione major æstimanda est. Ut August. Epist. 82. Jam, cum Sacra Scriptura per se sit & sanctior multò & veracior & ad excitandos pios cordis affectus aptior quam quivis alius liber dubium nullum esse potest quin per se quoquè ejus lectio sit cujuslibet alterius libri lectione utilior quapropter cum de Scriptura Sacrâ sermo fit universim non adjectâ restrictione quam invehere potest prava legentium dispositio anteponenda semper Scripturæ Sacræ lectio est & præter alios quoscumque libros præcipienda.

Sed nec prætermitti debet Authorem Propositionis dùm omnibus omninò fidelibus Scripturas Sacras subtrahendas esse affirmat, ut in sola piorum librorum lectione commorentur, eo illos adducere ut è manibus etiam excutiant, Psalmos, Evangelia aliosque Sacrorum Bibliorum libros qui nullo negotio in omnium manibus deponi possunt quorumve innumera prope his temporibus per omnes regni totius urbes exemplaria vulgari, tùm diligens Episcoporum cura, tùm profusa Christianissimi Regis liberalitas providerunt.

Tandem non abs re erit hic addidisse merito timeri ne ab simili quodam opinionis portento tot qui nunc regnant abusus, tot ineptiæ ac deliria promanarint. Enimverò quorum manibus Scriptura Sacra præripiebatur iis ingens omnium librorum Farrago obtrusa est. Porrò in hac tantâ librorum, ut vocant, piorum multitudine, si qui spuriam ac minùs solidam pietatem edocerent, eos illi, ut fit, legêre avidiùs & majori in pretio habuerunt, sicque somnia ac nugæ incautas & divini verbi præsidio destitutas mentes occupaverunt.



# VII. PROPOSITIO.

*Nihil tùm ab Ecclesiæ mente, tùm ab ipso Pænitentiæ Sacramento æque abhorret ac si quæratur, revoceturque in dubium possit ne ad illud plus semel in vitâ utiliter recurri, præsertim cum ad istam adeò suspectam quæstionem nonnisi verbulo uno defunctorio ac summis labris frigidè emisso respondetur, posse, eaque extorta responsio postmodum destruitur, dùm palam docetur, hanc fuisse primis sæculis Ecclesiæ mentem ac consuetudinem, ut illâ potestate, saltem vulgò, plus semel in vitâ non uteretur erga eos homines qui essent in peccata quædam enormia revoluti.*

UT tutiùs de septimâ illâ Propositione judicium ferretur operæ pretium fuisset librum vel codices in eâ impetitos priùs legere. Neque enim aliter de *illo defunctorio & summis labris frigidè emisso verbulo*, judicari potest, nec declarari utrum ea, *extorta responsio*, *postmodùm destruatur.* Hæc tamen in universam propositionem, ut hic jacet, observari posse visa sunt.

1. Non licet in dubium revocare possitne plus semel in vitâ ad Pænitentiæ Sacramentum utiliter recurri. Docet hoc fides, de iis autem quæ fides docet dubitare nefas est. Verùm potest de illa re quæstio institui, etsi nullatenùs revocetur in dubium, neque verò id ab Ecclesiæ mente aut ab ipso Pænitentiæ Sacramento abhorret, modò ad quæstionem respondeatur, ita esse. De præcipuis Religionis Christianæ capitibus, ac fundamentis Theologi quotidiè quæstionem instituunt, non ut ea quidem revocentur in dubium sed ut probentur & majori in luce ponantur.

2. Ubi semel ad eam quæstionem responsum est ita esse, Salva super eâ re fides evadit. Si quis autem post apertam adeò & ab omnibus ambagibus remotam assertionem diceret imprudentiùs non usam esse primis Sæculis Ecclesiam concessâ sibi potestate, plus semel per Pænitentiæ Sacramentum peccata remittendi, is in dogmate non pec-

caret sed dumtaxat erraret in facto. Esset quidem crassus ille & periculosus error si de peccatis publicæ Pænitentiæ non obnoxiis sermo fieret saltem si non adjiceretur multis jam à sæculis ea potestate sapienter ac considerate Ecclesiam uti.

3. Censent vulgò Theologi primis Ecclesiæ temporibus id in more positum fuisse ut qui semel publicam pænitentiam decurrissent ii rursus ad eam non admitterentur quidem, sed absolutionem nihilominùs à peccatis suis, saltem in extremo vitæ articulo obtinerent, modò comparato ut par est ad eam recipiendam animo essent. Verumtamen plures contra Theologi contendunt nullatenus ne privatè quidem ad Pænitentiæ Sacramentum fuisse admissos qui pænitentiæ publicæ stadium emensi essent, si in eadem crimina relaberentur. Nituntur illi Theologi cap. 8. libri à Tertulliano conscripti de pænitentiâ, & Augustini responsione in Epistola CLIII. ad Macedonium, Falluntur illi forsan opinione sua : cæterum nemo eos in illo errore versari dixerit quem propositionis author exprobrat ei qui non diversam ab illis Theologis opinionem tenet.

---

## VIII. PROPOSITIO.

*Pænitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta funditus eruunt qui absolutionem differunt & à communione removent eos homines qui veniales tantum maculas contraxerunt.*

OCTAVA Propositio falsa est, erronea, Ecclesiæ disciplinæ sanctisque regulis omninò contraria. Est ejusmodi ut animarum teporem alat ac foveat. Eâ doctrinâ imbuti fideles in desidiam & incuriam sui facilè concedent, seque ad Pænitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum, ut decet, comparare, non admodum enitentur.

Non exaggerabitur hîc Prolixius temeritas authoris qui sit tam audax & injustus ut eo usu deleri Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentum affirmet qui usus, ut modò patebit, illorum Sacramentorum institutioni, menti

Christi & regulis Ecclesiæ sanctissimis est omninò consentaneus. Ostendetur tantummodò probandum id & usurpandum esse maximè quod ille author tam impudenter condemnat.

Quod ad Pænitentiæ Sacramentum attinet, non id quidem in præsentiarum suscipitur ut expendatur diligentiùs quale & quam grave peccatum admittat qui venialem culpam sine illius dolore deponit, sed illud pro certo haberi debet teneri Sacerdotem ad denegandam vel differendam adsolutionem si quis venialia tantum peccata confessus de iis dolere, ut par est, non videatur. Id verò in ipsa Pænitentiæ Sacramenti naturâ radices habet. Non valet illud Sacramentum ubi quispiam desideratur è tribus actibus qui sunt ejus veluti materia. *Con. Trid. sess.* 14. *Can.* 4. *Contritio, Confessio, & Satisfactio.* Illudque verùm est non modò cum mortalia, sed etiam cum venialia eò peccata deferuntur. Porrò cum animadvertitur vitio & culpâ recipientis invalidum fieri Sacramentum, illud nihilominùs recipere vel administrare velle idem est ac eo abuti, quod quidem sacrilegium nè in se suscipiant qui de suâ & pænitentium salute solliciti sunt confessarii, absolutionem non impertiuntur iis in quibus nullum doloris signum deprehendunt; id autem contingit plerumque in iis qui veniales tantùm culpas admiserunt, & quidem frequentiùs fortasse multò quam in iis qui letalia peccata accusant. Juxta illud vulgatum Chrisostomi effatum homil. 87. *in Math. Hæc quia parva sunt desides reddunt & dum contemnuntur non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere.*


Quòd spectat ad Eucharistiæ Sacramentum duo tantùm hic observabuntur.

1. In permittendo fidelibus frequenti communionis usu nullam observari posse regulam tutiorem eâ quæ à B. Francisco Salesio traditur, ad communionem unaquâque hebdomade percipiendam, *introd. lib.* 11. *cap.* 20. Ubi cum canone quotidiè quem Gratianus Augustino attribuit, de consec. dist. 2. Et B. Bonaventuræ doctrinâ concinit. Vult autem hæc regula ut si quis non ab omni tantùm peccati mortalis labe, sed etiam à quolibet venialium cul-

parum studio immunis. Porro frequentem Sacræ Synaxis usum non permittere iis qui cum puri sint Lethalium peccatorum, studio tamen culparum venialium aliquo tenentur irretiti, quid aliud est quam à *communione illos homines aliquandiu removere qui veniales tantum maculas contraxerunt.*

2. Non solum à B. Thomâ p. 3. q. 70. art. 10. in corp. sed & à Concilio Tridentino sess. 22. cap. 6. innuitur non expedire ut fideles omnes ad Sacram Eucharistiam quotidie accedant. Verumtamen constat multas esse sanctioris notæ animas quæ non sunt mortalis ullius peccati sordibus inquinatæ: eæ ergo à communione removentur propter peccata venialia, aut etiam propter levia quædam minus benè se habentis animæ vitia quæ ne peccata quidem sunt *Quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis indispositionem, vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidiè ad hoc Sacramentum accedere.* S. Th. lib. cit.

His quasi cumulus accedat, decretorius hâc in re ejusdem S. Thomæ locus alter *Quia interdum absque mortali peccato actualis devotio impediri potest, cum distractiones variæ ipsam impediant, peccata venialia virtutum actum tollant; absque peccato mortali potest effectus hujus Sacramenti impediri; ita quod aliquis augmentum gratiæ non consequatur; nec tamen reatum peccati mortalis incurret, sed fortè reatum peccati venialis ex hoc quod imparatus accedit* in 4. dist. 12. art. 1. ad 3. ibi dicitur fore ut illi Sacramenti gratiam aut effectum non recipiant, imò esse cur timeatur ne se veniali peccato implicent, quo quid aliud agitur quam *à communione removentur ii homines qui veniales tantum maculas contraxerunt.* Idem legere est apud Suarem, *Laimanum de Euch. cap. 4. q. 1. & alios.*



# IX. PROPOSITIO.

*Pænitentiæ Sacramentum abolent, innuuntque absolutionem quæ in eo conceditur non esse nisi declaratoriam qui piis tum hominibus, tum mulieribus Sacram communionem permittunt non impertitâ prius absolutione.*

NONA propositio falsa est eumque morem quam temerè tam immerito comdemnat qui mos est admodum laudabilis & aliquoties usurpandus.

Usurpari quidem id debet ut, *piis tum hominibus, tum mulieribus sacra communio permittatur, non impertitâ priùs absolutione* (si modo verâ sint pietate instructi, si ex religionis regulis vivant, sibique & moribus suis intenti semper ac erecti invigilent) tum cum quasdam tantum evagationes animi, negligentias, aliaque id genus leviora peccata confitentur, quæ vel involuntaria fuerunt, vel saltem voluntaria fuisse certò non sciunt: tunc enim nullam pænitentiæ Sacramento materiam subjiciunt, aut si quæ sit, anceps admodum est & ambigua, nullo forsan certò dolore, nullo firmo consilio cautius deinceps ac consideratius vivendi, comitata. Est ea quidem sapientium & eruditorum Confessariorum consuetudo ut Pænitentem jubeant alicujus gravis peccati, jam antea declarati & remissi confessionem integrare, sed neque id omnes observandum sibi esse arbitrantur, præsertim cum eâ de re nihil quidquam Ecclesia præcipiat, præterea reperiri possunt animæ quædam quarum ne unum quidem in tota vitâ grave flagitium extiterit, nisi quod saltem multoties accusaverint: ita ut esset pertimescendum ne crebra illa & tandiu repetita ejusdem peccati confessio in consuetudinem abiret & jam sine ullo doloris sensu fieret. Si quis confessarius ad illas redactus angustias, communionem ei permittat cui priùs absolutionem non impertierit, ideone accusabitur?

Cæterùm temerè, & sine ullo fundamento proposi-

tionis Author atrocissimarum accusationum tela intorquet. Etiamsi ille quem reprehendit ad communionem promoveret eos omnes qui venialia tantum peccata haberent non datâ priùs absolutione, ( qua in re profectò ab Ecclesiæ disciplinâ regulisque deflecteret ) falsò tamen & nonnisi per calumniam is esse diceretur qui *Pœnitentiæ Sacramentum aboleret innueretque absolutionem quæ in eo conceditur non esse nisi declaratoriam* si quidem posset ille nihilominus Sacramenti Pœnitentiæ & absolutionis necessitatem agnoscere ad peccatorum Lethalium quæ sunt ejus certa materia remissionem. Jam, quanto iniquius in causâ tam dissimili eadem accusationis acerbitas usurpatur ?

---

## X. PROPOSITIO.

*Qui dicunt inesse quidem in Sacerdote veram remittendorum peccatorum potestatem, sed tamen gratiam reconciliationis peccatoris cum Deo non hominis operæ tribuendam, sed à Christi Redemptoris Sanguine proficisci, id illi furtim ac callidè insinuant quod adversus Catholicam Fidem Calvinistæ semper objecerunt, nimirum, si inesset in Sacerdote vera hominem Deo reconciliandi facultas, inde secuturum illam reconciliationem opus hominis fore non Christi Redemptoris Beneficium.*

DECIMA Propositio est apertè falsa, injusta, plena malignitatis & calumniarum.

Qui dicunt inesse quidem in Sacerdote veram remittendorum peccatorum potestatem, sed tamen gratiam reconciliationis peccatoris cum Deo non ab hominis operâ, sed à Christi Redemptoris Sanguine proficisci illi adeò non insinuant furtim ac callidè quod adversus Catholicam Fidem Calvinistæ semper objecerunt, ut è contrario Catholicæ Fidei articulum certis claris ac maximè orthodoxis vocibus enuntient. Penes solum fere ordinem discrepant illa quæ tam acriter in propositione reprehenduntur, ab his Sacro-sanctæ Synodi Tridentinæ Verbis *Quamvis absolutio Sacerdotis alieni sit beneficii dis-*

*pensatio*, *tamen non est nudum ministerium ... Sed ad instar actus judicialis*, *quo ab ipso*, *velut à judice sententia pronuntiatur* seff. 14. cap. 6. postrema Concilii verba significant, *inesse in Sacerdote veram remittendorum peccatorum potestatem* priora verò *gratiam reconciliationis peccatoris cum Deo non ab hominis operâ*, *sed à Christi Redemptoris sanguine proficisci*, alieni beneficii dispensatio.

Non satis patet quid sit tandem in illis vocibus quas tam acerbè carpit propositionis Author undè tantopere offendi potuerit, vel quâ sui parte ad errorem Calvinistarum accedant. Non favent procul dubio Calvinistis ea verba quibus asseritur *inesse in Sacerdote veram remittendorum peccatorum potestatem* latet ergo in altero propositionis membro venenum, & fortasse *Furtim ac callidè id insinuatur quod adversus Catholicam fidem*, *&c.* tamen nihil est Catholicæ Fidei & sanæ Doctrinæ regulis consonum magis quam illæ voces *reconciliationem peccatoris cum Deo non ab hominis operâ*, *sed à Christi Redemptoris sanguine proficisci*, id profitentur Catholici omnes ut vana ac futilia Calvinistarum objecta diluant: omnibus eadem fere verba Cardin. Bellarminus accommodat. Catholici... omnes uno ore clamant totam vim *Sacramenti Pœnitentiæ*, *ut aliorum omnium Sacramentorum à merito obedientiæ passionis & satisfactionis Christi pendere ... Porro vim Sacramentalem*, *quæ efficienter atque instrumentaliter concurrit ad remissionem peccatorum propriè ac præcipuè in verbò quod Sacerdos Dei nomine pronuntiat*, *dum absoluit*, *constituunt.*



## XI. PROPOSITIO.

*Qui dicunt Sacerdotes nostros simplices tantùm ministros esse meraque divinæ potentiæ instrumenta, qui ad instar actûs judicialis declarant quod in Cœlis à Christo efficitur, ii opponuntur ex adverso Synodo Tridentinæ in quâ definitum est absolutionem non esse simplex ministerium declarandi peccata esse remissa.*

UNDECIMA propositio in veritatem, charitatem & justitiam perindè peccat.

Enimvero peccat in veritatem, in charitatem & in justitiam qui authorem quempiam ejus erroris ac hæreseos insimulat quem errorem aut hæresim adeò ille non docet ut contrariam quoque opinionem palam profiteatur. Id autem ab authore propositionis fieri nemo est quin videat. Contendit à Tridentinæ Synodi Doctrinâ discessisse eum quem reprehendit : & tamen quas ab eo voces arripuit illæ Concilii Tridentini doctrinam ac ipsa penè verba repræsentant.

Nimirum ad profligandum errorem & Ecclesiæ dogma explicandum, ait Tridentina Synodus *Absolutionem Sacramentalem, esse actum judicialem, vel judicium* sess. 14. Can. 9. aut, ut cap. 6. loquitur *pronuntiari ad instar judicii vel actus judicialis* quæ sunt hâc in re decretoriæ voces. *Ad instar actus judicialis quo ab ipso, velut à judice, sententia pronuntiatur* atqui illa capitalis & decretoria vox *ad instar actus judicialis* reperitur in serie verborum ab ipso propositionis authore exscriptâ. Quo uno in fumos evanescit gravis illius & terrifica reprehensio.

Equidem in illâ ipsa serie verborum Sacerdos appellatur simplex minister declarans. Quod non omnino videtur cohærere cum Concilio pronunciante absolutionem à Sacerdote concessam non esse *nudum ministerium*, declarandi peccata esse remissa. Verum divelli non debent hæc priora verba ab iis quæ statim subsequuntur *ad instar actus judicialis* quibus postremis vocibus necessariò

illa ad Ecclesiæ & Concilii sensum deflectuntur. Hæc vox declarare eundem hic sensum habet ac pronuntiare, judicare, si quidem continuò additur ( *ad instar actus judicialis.*

---

## XII. PROPOSITIO.

*Concilium Tridentinum ita expresse definivit sufficere ad absolutionem recipiendam, attritionem quæ vitam animæ non tribuit, imò quæ amore Dei omni vacua esse supponitur, ut anathemate feriat qui contrariam opinionem deffendunt.*

DUODECIMA propositio falsa est, temeraria, scandalosa, Tridentinæ Synodo contumeliosa, in praxi periculosissima.

Ut huic propositioni, falsitas, temeritas, & aliæ quæ in eam congestæ sunt notæ astruantur; tria tantum hic ostendere sufficiet illi Doctrinæ prorsus opposita. 1. Concilium Tridentinum neque expressè neque tacitè definisse attritionem, aut contritionem imperfectam de quâ loquitur omni amore Dei vacuam esse. 2. neque expressè decrevisse idem Concilium sufficere attritionem ad absolutionem percipiendam. 3. *Anathemate non perculisse qui contrariam opinionem deffendunt.*

Consuli potest sessionis 14. caput 4. & Canon 5. ibi patebit quidnam de attritione aut imperfectâ contritione Synodus declaraverit ac decreverit.

Nedum vel expressè vel tacitè definiat amore Dei vacuam esse attritionem, eam contra characteribus designat ejusmodi undè Theologi plures evincunt non posse non amorem Dei aliquem in illâ reperiri: enim vero vult Concilium ut detestationem peccati complectatur, ut excludat peccandi voluntatem, ut sit cum spe veniæ conjuncta, ut oriatur ex cogitatione animi beatitudinis æternæ jacturam reputantis. *Contritio animi dolor ac detestatio est de peccato commisso... Illam verò contritionem*

*imperfectam , quæ attritio dicitur ... si voluntatem peccandi excludat , cum spe veniæ cap.* 4. *quæ paratur per discussionem , collectionem & detestationem peccatorum ... ponderando ... amissionem æternæ beatitudinis , & æternæ damnationis incursum.* cap. 5. quæ omnia sine amore Dei quodam stare nullatenus posse Theologi multi probaverunt.

Ut habeatur brevitatis ratio duò tantum hîc referentur quæ illi ex Tridentino Concilio eruunt in favorem opinionis suæ consectaria. Nimirum Sancta Synodus sess. 6. cap. 6. exponens qualis ab adultis debeat adhiberi præparatio ut gratiam ac justitiam in Baptismo percipiant postulat in iis quoddam divini amoris initium, cujus nascentis amoris , quasi necessariam appendicem esse innuit odium ac detestationem peccati. *Illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt ; ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem , hoc est per eam pœnitentiam quam ante Baptismum agi oportet.*

Inde duo derivant illi Theologi in Pœnitentiæ Sacramentum. 1. attritioni inesse vel præire debere istud divini amoris initium , quandoquidem , quæ illius amoris appendix est , peccati detestationem includat.

2. Ut gratia , vel justitia in Sacramento Pœnitentiæ percipiatur , non minùs , imo magis necessarium esse illud divini amoris intium , quam ut in Baptismi Sacramento. Huc ea revocari possunt quæ differit Concilium de satisfactionis necessitate. sess. 14. cap. 8. *sanè & divinæ justitiæ ratio exigere videtur , ut aliter ab eo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerint , aliter vero qui semel à peccati & Dæmonis servitute liberati , & accepto Spiritûs Sancti dono , scientes templum Dei violare & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint.* Si difficilius , ut par est , gratia Dei recuperatur in Pœnitentiæ Sacramento , quam in Baptismo accipitur , debet ergo ad illud æquè perfecta , aut etiam aliquanto perfectior intimi cordis præparatio adhiberi : quod secus accideret , si in eâ quæ præmittitur Baptismi Sacramento , præparatione quidam Dei amor inesset , non item in eâ quæ Pœnitentiæ Sacramento.

Jam sufficiatnè ad absolutionem in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam attritio, id verò noluit Sancta Synodus expressè definire. Illud tantum declaravit, etiamsi suaptè virtute & absque Sacramento justum non efficiat peccatorem, tamen eum illâ ad Dei gratiam in Sacramento obtinendam disponi. *Et quamvis sine Sacramento Pænitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit* cap. 4.

Quod non temerè & in consultò Synodi Patribus excidit. Cum enim primò ita instructum fuisset decretum, ut in eo declararetur sufficere unâ cum Sacramento attritionem, *Sufficere ad hujus Sacramenti constitutionem*, Joannes Emilianus, Tudetanus antistes qui propugnabat necessariam esse simul cum Sacramento contritionem perfectam, objecit iis Concilii vocibus controversam apud Theologos opinionem condemnari. Evicit hæc admonitio ut decretum Sancta Synodus castigaret, juberetque vocum illarum loco, eas quæ hodie leguntur, substitui.

Tantum abest ut hic definiatur expresse sufficere unâ cum Sacramento attritionem, ut potius declaretur dirimi quæstionem illam nondum posse, adeoque esse permittendum ut integrum sit de eâ, prout suum cuique ingenium & sua conscientia suggesserint, sentire.

Superfluum jam esset ostendere anathematis fulmen in eos non detorsisse Concilium qui non faterentur ad absolutionem in Sacramento recipiendam sufficere attritionem. Negavit id in ipso Concilio Tridentino Episcopus quem Sancta Synodus adeò non anathemate perculit ut ejus rationibus morem gesserit decretumque mutandum curaverit. Prætereà ex solâ Canonis 5. lectione manifestum est non latam anathematis sententiam fuisse nisi in eos qui contenderent imperfectam ejusmodi contritionem non esse verum & utilem dolorem, ad gratiam in Sacramento recipiendam non præparare, sed reddere hominem hypocritam & magis peccatorem, postremò dolorem qui ex eâ procreatur coactum esse non spontaneum & à voluntate profluentem *Si quis dixerit eam contritionem quæ paratur per discussionem, collectionem & de-*

*testationem peccatorum quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem, demum illam esse dolorem coactum & non liberum ac voluntarium; anathema sit.*

---

## XIII. XIV. PROPOSITIO.

*Qui dicunt absolutionem validè conferri non posse nisi iis qui contritionem habent aliquâ charitate animatam, perinde est, ac si dicerent absolutionem validè conferri non posse nisi iis qui prius sunt in gratia constituti, & Deo per contritionem perfectam quâ vitæ restituitur anima, reconciliati.*

ABSOLUTIONEM Sacramentalem præcipuo suo effectu fraudant, & apertè Concilio Tridentino adversantur qui dicunt contritionem quam absolutioni necessariò præire oportet animatam esse debere eâ charitate quæ vitam animæ tribuat.

Duobus constat harum propositionum falsitas atque injustitia. 1. Quod in iis confundantur ac permisceantur duæ à se invicem diversissimæ opiniones. 2. Quod affirmetur eas apertè Tridentino Concilio adversari, quantumvis neutra fuerit à Synodo condemnata, quantumvis utraque à Theologis Catholicis quondam propugnata fuerit & etiamnum propugnetur.

Duarum illarum opinionum qui priorem defenderent nonnulli in ipso Concilio Tridentino reperiuntur, nonnulli qui posteriorem. Qui petierunt ut in iis dispositionibus recensendis quæ ad justificationem præparant *aliquis charitatis actus insereretur* ii procul dubio, non erant in eâ sententiâ ut putarent hominem per actum quemdam amoris Dei, per quoddam initium charitatis, per contritionem charitate aliqua animatam, posse in

gratiam restitui aut Deo reconciliari, si quidem illi actum hunc ab ipsâ virtute charitatis secernebant, quâ sine virtute nemo vel in gratiâ constituitur vel Deo reconciliatur: Neque in dubio est, quin affirmaverit Tuditanus Episcopus contritionem quam absolutioni præire necesse est, animatam esse debere eâ charitate quæ vitam animæ tribuat, siquidem ille ad recipiendum Sacramentum perfectam contritionem requiri contendebat.

Facilè quivis intelligere potest duas illas opiniones magno à se invicem intervallo distare: posse enim juxta priorem sententiam affirmari *validè non conferri absolutionem nisi iis qui contritionem habent aliquâ charitate animatam* tametsi non idem cum alterius placiti fautoribus censeatur, videlicet *absolutionem validè conferri non posse nisi iis qui priùs fuerint in gratiâ constituti.* Qui charitatis initium in contritione ad Sacramentum necessarium postulant Theologi bene multi, non ideo arbitrantur per eam aliqua charitate animatam contritionem justitiæ hominem restitui. Unus hic omnium loco nominabitur Estius qui suam de illa re mentem sic expromit. *Ex iis quæ dicta sunt ad dist.* 23. *lib.* 3. *manifestum relinquitur esse quamdam charitatem seu dilectionem Dei quâ diligitur sicut diligendus est, id est, super omnia, quæ peccatorum remissionem antecedat, juxta illud Luc.* 1. *remissa sunt ei peccata multa quia dilexit multum. in* 4. dist. 17. art. 3. ad 6.

At verò Tuditanus Antistes disertè tenet ac defendit, per illam contritoinem ad recipiendum Sacramentum necessariam hominem quidem justitiæ restitui, sed virtute tamen Sacramenti cujus illa votum continet: *opus esse contritione perfectâ; nec tamen hinc argui per Sacramentum peccata non remitti, quippe quæ Sacramentum jam invenit remissa præeuntis contritionis efficacitate: Si quidem aiebat, ipsa contritio id præstat virtute Sacramenti, cujus votum in eâ continetur.* Hoc quoque disertè declarant quotquot etiamnum hanc opinionem tuentur, ut videre est in libris ad eam propugnandam nuper exaratis. *Episcopus Castor. lib.* 1. *cap.* 31. *de contritione Lovanii. an.* 1678. *amor Pænitens.*

Non id agitur ut ex duabus illis ſententiis utra ſit alteri anteponenda perpendatur, vel an ſit diſcedendum ab utrâque, & tertiæ cuidam adhærendum quæ hoc ævo maximè invaluit. Ad abſolutam hujus decimæ-tertiæ propoſitionis explicationem quædam inſuper notare ſufficiet.

Ac 1. quidem cum Melchiore Cano obſervandum eſt non temere ac inconſultò, quam tu ſententiam non ſequaris, ita damnari & in invidiam læſæ Fidei adduci debere, quantumvis ſit illa receptiſſimæ in ſcholis opinioni contraria. *Non enim ſi quidquam in ſcholâ bonis etiam temporibus inveteravit, mox Fidei dogma exiſtimandum eſt. Sunt autem nonnulli, qui per eas perſuaſiones quibus à principio ſunt imbuti, de rebus graviſſimis ſententiam ferunt, temeritate quadam, ſine judicio, repentino quaſi vento inflati, quæ longè alia eſſet, ſi judicio, conſideratè, conſtanterque lata fuiſſet* Melchior Canus de locis Theologicis lib. 8. cap. 5. ad 3.

2. Non modo non alterutrum ex his duobus placitis *apertè Tridentino Concilio adverſari* ſed etiam utrumque ab eruditiſſimis Theologis & poſt habitam Synodum & in ipſa Synodo fuiſſe propugnatum. Quin etiam dici poteſt ea ipſa placita fuiſſe in ſecuritatem quandam adverſus omnem tum reprehenſionem tum periculi ſuſpicionem ab ipſo Concilio vindicata & in Catholicam Fidem quodammodo aſſerta, quippè quod tanta cautione providerit ne ullatenus læderentur dederitque hoc eorum fautoribus ut adornata priùs decreta vel reſcinderentur, vel corrigerentur.

Relatum eſt in excutienda præcedenti propoſitione, quid Synodi Patres immutaverint in 14. Seſſionis decreto, nequid in eo reſideret quod ſecundam opinionem cui Tudertanus Antiſtes adhærebat, perſtringere poſſet ac labefactare. *Palavic. Hiſt. Conc. lib.* 12. *cap.* 10. *n.* 26.

Longius adhuc progreſſi ſunt in gratiam eorum qui pro prima opinione ſtabant. Capiti enim 6. 6. Seſſionis, id illi inſeruerunt quod in eo legitur de quodam divini amoris initio, qui amor inter ea quæ ad juſtificationem diſponunt, recenſetur. *Illumque tanquam juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, quo pacto, amplecti ſe quadantenus illorum opinionem, nedum damnarent, oſtenderunt.

Quod attinet ad illam partem propositionis ubi dicitur hac opinione *Sacramentalem absolutionem præcipuo suo effectu fraudari* id diluitur Tuditani Episcopi verbis supra memoratis. Cæterum illa difficultas nullatenus attingit primam opinionem, juxta quam ait Estius *Conversio*, id est contritio aliqua charitate animata, *tollit peccatum quantum ad actum, non tamen statim quoad reatum qui plerumque permanet donec Sacramento solvatur* loco cit. ad 5.

---

## XV. PROPOSITIO.

*Falsum est ab Ecclesiâ Catholicâ formam Græcorum deprecativam approbari.*

DECIMA quinta propositio vera est vel falsa pro variâ quæ assignabitur verbo (approbari) significatione; adeoque explicatione indiget.

Si ea vis esse dicitur vocis illius ut solemnem quandam & disertam approbationem denotet, vera propositio est. Neque enim juxta hunc sensum Ecclesia Catholica formam Græcorum deprecativam approbavit, quia videlicet nusquam aut ullo generalis alicujus Concilii canone, aut alio quovis solemni ritu pronuntiavit bonam esse formam deprecativam quæ apud Græcos usurpatur.

Sin, id ab Ecclesiâ censendum est *approbari* quod & observatur nunc & est multis jam ante sæculis inter varios Ecclesiarum ritus observatum, quod in omnibus, quæ ipsius authoritate eduntur, Euchologiis ac ritualibus libris extat, quod tametsi in ipsius oculis, ac templis fiat, non arguit tamen, non conqueritur, non mutari jubet, verum est, juxta hunc sensum, qui profectò maximè obvius est *ab Ecclesia Latina formam Græcorum deprecativam approbari.* Unde sequitur propositionem hanc falsam esse ac temerariam eoque spectare ut dissentionem & divortium græcam inter & latinam Ecclesiam foveat.

Ut ne res altius quam à Concilio Florentino repetatur, nusquam in eo Latini conquesti sunt de formâ aliisquè in administrando Pænitentiæ Sacramento ritibus

Græcorum. Rebus pace compositis lectoque Fidei decreto, nonnullas adhuc græcis latini quæstiones proposuerunt, rationemque ab eis quorumdam à suis discrepantium usuum repetière. Una ex illis quæstionibus spectat Pœnitentiæ Sacramentum, quid sit cur Græci tum Episcopi tum Sacerdotes peccata sua sacrificium Missæ celebraturi, non deponant. At vero de illius Sacramenti formâ nihil omnino quæsitum est. Iis quæstionibus omnibus græci fecerunt satis. In duabus postremis hæserunt, quarum quidem altera ad Matrimonii dissolubilitatem, altera ad electionem Græci Patriarchæ pertinebat. Paucis post diebus jussit eos Summus Pontifex convenire. De illo duplici capite conquestus est, simul quod Ephesinus Antistes à Concilio decessisset succensuit. Sed in has querelas prius non descendit quam agnovisset in eadem secum, illos fide esse. *Nos Fratres Dei Beneficio sumus fide conjuncti.* In Actis Conc. Flor. post sess. 25. & definit. Conc.

Cito inter utramque Ecclesiam diffidium recruduit, sed nihil usquam hac in parte Latina Ecclesia Græcis exprobavit, neque usum illum mutari voluit aut improbavit in iis qui pacem cum ipsâ vel initam servaverunt vel de integro inierunt. Post multas quæ præteritis sæculis, & hoc etiam ineunte prodierant Euchologii ac libri Græcorum Ritualis editiones, novissimè anno 1635. Venetiis cusa sunt & in vulgus emissa. Id eis permittitur ut ad illos se libros accommodent, ut illis adhæreant, ut in omnibus sequantur. Et vero ita se Romæ gerunt, ita in aliis Catholicis Urbibus, ita in nostris etiam Templis in quibus admittuntur, neque tamen in iis precibus quas ad Pænitentiæ Sacramentum usurpant quidquam vel addere jubentur vel immutare.

Verùmtamen non agitur de cæremoniâ quadam quæ sit ad libitum, quæ nullius momenti ac ponderis censeri debeat, quæ ferri possit pacis ac concordiæ causâ, tametsi non approbetur: agitur forma essentialis, adeoque valor vel nullitas ipsius Sacramenti, cujus autem Sacramenti, & quam necessarii? Nequit græcis objici quod in administrando pœnitentiæ Sacramento ea formâ utantur quæ nec valida sit, nec legitima, quin simul

Ecclesia Latina in crimen adducatur æternæ plurium animarum damnationis, quippè quæ id permittat aut saltem dissimulet ac patiatur. Tolerat in græcis resipiscentibus Ecclesia quidquid potest piè & absque supremi numinis offensâ tolerare, verum palam & apertè denuntiat, nolle se, nec si maximè vellet, posse eousque videri indulgentem, ut, si quid inesset in eorum ritibus quod fidelium animarum detrimento conduceret id vel comprobet, vel silentio prætermittat. *Licet Græcos in diebus nostris ad obedientiam Sedis Apostolicæ revertentes fovere & honorare velimus, mores ac ritus eorum, in quantum cum Domino possumus, sustinendo: In his tamen, illis deferre nec volumus, nec debemus, quæ periculum generant animarum, & Ecclesiasticæ derogant honestati. Conc. Later.* 4. cap. 4.

In eâ quidem institutione quam Clemens 8. an. 1595. instrui jussit de ritibus græcorum, cavetur, ut si quando græci Sacerdotes absolutionem cuipiam è Latinâ Ecclesiâ impertiant, quod ipsis licebit urgente necessitate, illam formam usurpent quæ præscribitur in Concilio Florentino, hoc est in decreto Eugenii 4. ad Armenos quod sub illius Concilii finem editum est, eique formæ, si libuerit solitas suas preces adjiciant. *In casu necessitatis Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere. Utantur formâ absolutionis in Generali Concilio Florentino præscriptâ, & posteâ si voluerint, dicant orationem illam deprecativam quam pro formâ hujusmodi absolutionis dicere tantum consueverunt.*

Sed id etiam ostendit ab illo Pontifice probatam fuisse formam deprecativam quâ græci in Ecclesiæ suæ homines utuntur. Dum enim præcipit, ut, si formam suam deprecativam adhibeant in quopiam è Romanâ Ecclesiâ absolvendo, formam престереâ Latinorum adsciscant, hoc ipso per eum iis licet nihil omninò suæ illi formæ adjicere, dum absolutionem homini græco concedunt. Possunt intra se suos ritus ad litteram observare, ex quibus formam absolutionis deprecativam esse Summus Pontifex confitetur. Refertur decretum illud in Bullario. Est inter Clementis VIII. Bullas trigesima quarta §. 3.

Contendit quidem Arcudius formam Pœnitentiæ Sacramenti, quale à Græcis administratur, nequaquam illis precibus constare, quæ in ipsorum Euchologiis leguntur, sed aliis quibusdam indicativis aut absolutis vocibus quæ in iis item non extant, quas quidem voces græci multi ignorant vel omittunt, alii vero pronuntiare solent pœnitentem dimittendo, nimirum Ἔχω σε συγκεχωρημένον. habeo te veniâ donatum: quæ profectò voces non magis ad rationem Sacramenti pertinent quam quæ à nonnullis Confessariis dum Pœnitentem dimittunt, proferuntur, *vade in pace*, aut *vade & noli amplius peccare. At non extat ejusmodi forma in Euchologio? Equidem fateor; nequè enim, si extaret, in recensendis aliorum opinionibus tantopere laborassem. Est tamen frequens, & in ore multorum Confessariorum quotidiè versatur, licet major pars Græcorum ex ignorantiâ quod nesciant totam vim latere in his paucis verbis, eâ non utantur; qui autem utuntur, ex usu quotidiano vocem quodammodo corruperunt, locoque, συγκεχωρημένον, vulgari & corrupto vocabulo dicunt συγχωρημένον.* Arcudius de Sacr. pœnit. cap. 3. hanc Arcudii conjecturam secutus est in suis ad Græcorum Euchologium notis Pater Goar. in orationes super Pœnitentes. p. 676. & 677.

Hic necesse non est sententiam illam refellere, quæ re maturius expensâ, corruit ex se omnino. Neque observabitur nullatenus consonare ejusmodi placitum doctrinæ Clementis VIII. verbis modo relatis expressæ. Satis est monuisse, juxta hanc ipsam & aliam quamvis opinionem, extra omnem controversiam esse positum, ab Ecclesiâ Latina non improbari, sed potius permitti & approbari maximè formam quâ græci utuntur in administrando pœnitentiæ Sacramento, qualiscumque tandem illa sit & quibusvis vocibus enuntiata.

Qua in re falsitas ac temeritas eminet hujus decimæ quintæ propositionis, in qua cum Author agnoscat formam Græcorum deprecativam esse, ut est, affirmet tamen eam ab Ecclesiâ Latina non comprobari.

## XVI. PROPOSITIO.

*Qui docent ab Ecclesiâ Catholicâ formam deprecativam quâ Græci absolutionis loco utuntur approbari, easque ex ipso consensu Doctorum in rei naturâ unum & idem quid esse, ii ab usitatis Ecclesiæ tramitibus deflectunt, Doctrinam insolentem profitentur, eoque adducunt ut credatur posse formam illam in Ecclesiâ Latinâ legitimè usurpari.*

QUONIAM hujus ac præcedentis propositionis eadem natura & ratio est, nec ullum inter utramque discrimen intercedit nisi quod præter falsitatis notam quam illa impugnatæ à se opinioni inurit, hæc eamdem novitatis atque insolentiæ criminibus oneret, ex iis quæ in priorem illam propositionem congesta sunt, quid de hâc posteriori sentiendum sit, æstimari potest.

## XVII. PROPOSITIO.

*Juxta Fidei regulas non potest formæ Pœnitentiæ, nisi imperativus sensus attribui, aut, quod tutius est, absolutus, nequaquam verò deprecativus.*

QUANTUMVIS captiosis ac fallacibus verbis circumscribatur decima septima propositio, facilè tamen deprehenditur id eam moliri ut astruat falsæ rei fidem, faciatque ut quod ad religionis articulos non pertinet pro religionis tamen articulo habeatur.

Si ea mens fuit Authoris hujus propositionis ut de formâ Græcorum loqueretur, aut de aliâ illa formâ qua quondam in Ecclesiâ Latinâ administratum est Pœnitentiæ Sacramentum, docent plures Theologi utramque deprecativam esse, hoc est utramque ejusmodi vocibus constare quæ sint fusæ ad Deum à Sacerdote preces in gratiam Pœnitentis. De usu Ecclesiæ græcæ ad præcedentem pro-

positionem disputatum est. Qui volunt eam fuisse undecim aut duodecim prioribus sæculis, Ecclesiæ Latinæ consuetudinem ut absolutionem concederet per orationem & preces non verò per has voces *Ego te absolvo* illi sententiam suam probant tum ex antiquis Ritualibus libris in quibus nullum vestigium extat illorum verborum, tum ex iis quæ referuntur in summâ manuscriptâ Petri Cantoris *de Sacramentis* tum ex iis quæ fatetur Sanctus Thomas eo ipso loco ubi formam absolutam astruit ac tuetur. opusc. 22. in responsione ad 1. & 2. objectionem.

Certissimum est nunquam fuisse ab Ecclesiâ proscriptam Theologorum illorum opinionem, nec sine temeritatis notâ dici potest eam Fidei regulis adversari. *Potest ergo juxtà Fidei regulas Pœnitentiæ formæ sensus deprecativus attribui*, evidens enim est formæ deprecativæ sensum inesse utique deprecativum.

Si vero loqui intendit ille Author de formâ quæ nunc in Ecclesiâ Latinâ usurpatur, docuit quidem Sancta Synodus Tridentina sess. 14. cap. 3. eam in his vebis esse positam *Ego te absolvo*, *&c.* sed nullibi definitum est non posse illis vocibus sensum deprecativum assignari.

Potest integrâ atque illibatâ fide duplex in his verbis sensus distingui, alter indicativus & absolutus, qui genuinus est, seque primum offert animo: alter Paulo remotior & deprecativus. Ut enim Sacerdos in administrando Pœnitentiæ Sacramento, duplicem quasi personam gerit, hinc quidem judicis cui subjacet Pœnitens, illinc vero intercessoris ac Patroni qui Deum pro eodem Pœnitente deprecatur: ita pariter potest absolutio spectari simul ut actus authoritatis ac juris in Pœnitentem, simul ut intercessio & oratio apud Deum. Hanc duplicem Sacerdotis quasi personam non obscurè designat Concilium Tridentinum, dum ait absolutionem esse simul *alieni Beneficii dispensationem & actum judicialem* sess. 14. cap. 7. Eamdem clarius adhuc expressam videas in illa oratione quam plerique Rituales libri à Sacerdote, priusquam ad audienda peccata accedat, recitari vel jubent vel hortantur. *Qui me indignum, propter magnam tuam misericordiam*

*tuam misericordiam, ministrum fecisti Officii Sacerdotalis, & me exiguum, humilemque mediatorem constituisti ad orandum & intercedendum ad Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus.*

Eâ distinctione multi Theologi se se ab iis Patrum locis expediunt, in quibus tum aliorum Sacramentorum, tum præsertim Pœnitentiæ formæ, nomen orationis addicitur. *Secundo respondemus vocari orationem & supplicationem, quia licet sit actus jurisdictionis respectu Pœnitentis qui absolvitur, tamen debet esse quasi humilis oratio respectu Dei.* Gamach. de Sacr. Pœnit. cap. 6. Idem reperire est apud Silvium in 3. partem q. 84. art. 3. *potest etiam dici, & quidem conformiter menti S. Leonis, quod ipsam Sacerdotalem absolutionem vocet supplicationem, eâ ratione quâ & aliorum Sacramentorum formæ, licet, effectivè proferantur, dicuntur tamen à Sanctis Patribus preces vel orationes, quia scilicet quatenus proferuntur à legitimo ministro cum intentione conferendi Sacramenti, sunt tacita quædam invocatio divinæ potentiæ.* Apud Vasquezium, ad eumd. artic. dub. 3. n. 13. Dicitur autem supplicatio, aut oratio, ipsa forma, non quia per modum deprecationis proferatur, sed quia locum habet orationis, cum statim præsto adsit divina majestas verbis sui ministri operans remissionem peccatorum.

Verum etsi possit illæsis Fidei regulis Sacramenti Pœnitentiæ forma deprecativo sensu donari, ut modo explicatum est, fatendum tamen usque eam esse actum verè juridicum, & quasi sententiam absolutionis. Id Statuit Sancta Synodus Tridentina. sess. 14. cap. 6. & Can. 9. quod ita esset, etiamsi forma Sacramenti Pœnitentiæ foret deprecativa, ut Vasquezius observat. n. 7. *Denique quod deprecationis formâ quis uteretur, in absolutione peccatorum, non esset in causâ, quominus diceretur habere potestatem absolvendi, & verè absolvere.*

# XVIII. PROPOSITIO.

*Confessio Peccatorum Secreta ita est ex Christi Domini instituto ut si palam illa fieret hoc ipso desineret esse Sacramentalis, juxta Decretum Concilii Tridentini.*

DECIMA octava propositio falsa est ac temeraria tum in jure, tum in facto. In jure quidem, quod asserat *confessionem peccatorum secretam ita esse ex Christi Domini instituto, ut si palam illa fieret, hoc ipso desineret esse Sacramentalis* in facto autem, quod in ejus rei argumentum *Concilii Tridentini Decretum* adducatur.

Eâ de re sententiam suam aperit Tridentina Synodus, duobus in locis Sessionis 14.

Ita loquitur cap. 5. *Cæterum quod ad modum confitendi secretò apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, delicta sua publicè confiteri possit, non est hoc tamen divino præcepto mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur; ut delicta, præsertim secreta publicâ essent confessione aperienda. Vnde cum à Sanctissimis & antiquissimis Patribus, magno, unanimique consensu, secreta confessio Sacramentalis, quâ ab initio Ecclesia Sancta usa est, & modo etiam utitur, fuerit semper commendata; manifestè refellitur inanis eorum calumnia qui eam à Divino mandato alienam, & inventum hominum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi Congregatis, initium habuisse, docere non verentur.*

In Canone vero 6. habetur *Si quis negaverit Confessionem Sacramentalem vel institutam, vel ad salutem necessariam jure divino, aut dixerit modum secreto confitendi soli Sacerdoti quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit & observat, alienum esse ab institutione & mandato Christi, & inventum esse humanum, anathema sit.*

Facilè intelligitur nequaquam illis vocibus decrevisse

Concilium fore ut Sacramentalis desineret esse confessio si palam fieret. Multum interest utrum dicatur non præcipi à Deo publicam confessionem ; non expedire ut præcipiatur ab hominibus, Sacramentalem Confessionem, semper fuisse in Ecclesiâ usurpatam, postremò eam institutioni ac præcepto Christi non adversari, quomodo loquitur Concilium, an statuatur *Confessionem peccatorum Secretam ita esse ex Christi Domini instituto, ut si palam illa fieret, hoc ipso desineret esse Sacramentalis.* Quapropter, ut apertum est, calumniatur Tridentinam Synodum Author propositionis quippè qui id ab ea decretum fuisse affirmet, quod revera non decrevit.

Ex quibus constat nihil quidquam definiisse Concilium quo propositionis Author niti possit imò falsum id & ipsius Concilii verbis contrarium esse quod decretum ab eo & definitum fuisse affirmat. Id patebit adhuc liquidius si diligenter attendantur ea quæ ex cap. 5. desumpta sunt. Ibi declarat quidem Sancta Synodus nullo divino mandato præcipi publicam confessionem, &c. sed prius observaverat eam non fuisse à Christo vetitam, illâ posse uti peccatorem, *in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, cum ob aliorum exemplum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem.* Non subdit Concilium Sacramentalem fore ejusmodi confessionem, verum id ex ipsis verbis facilè colligitur. Et sanè qui sic peccata sua palam Sacerdoti confessus fuisset nemini dubium esse potest quin ad impetrandam ab illo veniam, eadem secreto iterare non teneretur.

Illud etiam accedit ut ex Concilio Tridentino inde necessitas exurgat peccata sua confitendi quod nequeat Sacerdos, ut potè judex in Pœnitentiæ Sacramento, sententiam ferre suam nisi prius pœnitentis statum cognoverit *constat enim Sacerdotes judicium hoc incognita causa exercere non potuisse, &c.* Unde meritò deducitur æque posse sententiam absolutionis à Sacerdote ferri post publicam ac post secretam confessionem, quandoquidem utraque pariter notitiam peccatorum subministrat. Statue cymbam in alto mari refertam hominibus, procellis ita jactatam ut certum & ineluctabile naufragium sit. Si contingat

ut peccata sua illi homines confiterentur surdo cuidam Sacerdoti à quo exaudire nequeant quin ab aliis simul omnibus audirentur; num idcircò Sacramentalis esse desineret ea confessio quia publica esset? num illius intuitu non posset Sacerdos Sacramentalem absolutionem impertire?

Confessio secreta peccatorum in Ecclesiâ semper obtinuit, rejecti sunt quicumque eorum palam declarandorum necessitatem invehere voluerunt, sed nusquam ejusmodi publicæ confessiones nullius valoris æstimatæ sunt.

Sanctus Leo Summus Pontifex in Epistolâ ad Episcopos Italiæ condemnat ac prohibet quemdam usum qui in iis locis invaluerat, cogendi peccatores ut scelera sua palam recitarent: sed eum morem reprehendit qui à Pœnitentiâ deterrere plurimos potuisset, non jubet ea peccata de novo declarari quæ publicè anteâ declarata fuerant: imo laudat atque extollit illorum hominum fidem qui morem hunc secuti fuerant: observat tantum modò necessariam non esse eam quæ publicè fit, confessionem, sed satis esse si quis peccata sua secretò apud Sacerdotem deponat. *Sufficit enim illa Confessio quæ primùm Deo offertur, tum etiam Sacerdoti qui pro delictis pœnitentium precator accedit Epist. 90. num. 136. ad Episcopos per Campaniam, Sumnium, ac Picænum Constitutos.*

Non hîc exquiretur diligentius extetne aliud aliquod prioribus sæculis impressum publicæ cujusquam Confessionis vestigium. Non deesset fortasse quærentibus quanquam constat morem hunc nunquam fuisse necessario observandum nec ubique vulgò receptum aut usurpatum: sed ad profligandam propositionem hanc decimam octavam satis est quod publicam ejusmodi confessionem Christus non prohibuerit. Id autem conceptissimis verbis declarat Concilium Tridentinum.



# XIX. PROPOSITIO.

*Concinunt cum Calvinistis & Doctrinam infinito à veritate spatio distantem amplectuntur qui volunt posse Ecclesiam ob secreta peccata publicas pœnas imperare.*

DECIMA nona propositio falsa est, temeraria & quadamtenus schismatica, ut potè quæ eam Ecclesiæ potestatem detrahat quæ potestas consequitur ex authoritate ipsi à Christo concessa, quâ etiam usam illam esse prioribus sæculis non immeritò potest affirmari.

Id ultro conceditur neque quodvis Lethale crimen; neque cogitationis ac simplicis desiderii peccata pœnitentiæ publicæ fuisse obnoxia, sed est procul dubio cur credatur publicas olim pœnas ob publica & occulta flagitia perinde fuisse impositas, cum ea nullo discrimine habeantur Sacris canonibus pœnas ejusmodi palam subeundas, decernentibus. Id ipsum etiam agnoscit Catechismus Romanus *quod etiam in occultis criminibus, quæ graviora essent, interdum fieri solitum erat.* De Sacram. Pœnit. n. 43.

Si quis hoc sibi certis argumentis probari voluerit, legat caput 10. Libri à Tertulliano scripti de Pœnitentiâ. Canonem 34. Epistolæ Canonicæ Sancti Basilii & Homiliam L. Sancti Augustini. Qui Sermo est in nova editione 351. cap. 4.

Qua in re utitur Ecclesia eâ potestate quam à Christo accepit. Et quidem peccatum secretum agitur eo loci ubi Christus varios reprehensionis fraternæ gradus præscribit: Hinc est, ut observat Sanctus Augustinus sermone 92. aliàs 6. de Verbis Domini, quod velit Christus ut ab admonitione secreta ducatur exordium *inter te & ipsum solum quia enim ait Sanctus Doctor, secretum fuit, quando in te peccavit, secretum quære cum corripis quod peccavit.* Jam vero quod primæ illi admonitioni, quod etiam secundæ quæ secreto utique fit obsistatur, est illud etiam secretum peccatum. Verumtamen permittit Christus ut

vulgetur illud peccatum, ut Ecclesiæ deferatur, ut in illud pœna aut excommunicatione publicâ animadvertatur: *Si Ecclesiam non audierit &c.* idquè concessæ a se Sacerdotibus potestatis vi; *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis, &c.*

Si quis olim existimaverit eam semper Ecclesiæ fuisse disciplinam ut secretas ob secreta, publicas nonnisi ob publica peccata pœnas injungeret, ille se in facto continuit, dixit tantummodo nunquam, saltem vulgò, pœnas publicas propter occulta peccata fuisse ab Ecclesiâ imperatas, sed non eousque progressus est ut Ecclesiæ potestatem negaret aut circumcideret, ut assereret aliter agere eam non posse. Id profectò nullibi alias quam in ista propositione reperiatur.

Est illa quæ proscribatur eo dignior quo profertur audacius, neque enim contendit tantum nusquam in secreta peccata pœnis publicis Ecclesiam animadvertisse, imò ne posse quidem, sed etiam superbo ac contumelioso verborum apparatu affirmat *Concinere cum Calvinistis & doctrinam infinito à veritate spatio distantem amplecti qui volunt posse Ecclesiam ob secreta peccata publicas pœnas imperare.*

---

## XX. PROPOSITIO.

*Doctrinam deffendunt Arcano Confessionis & Synodi Tridentinæ menti è Diametro oppositam qui tametsi fateantur maximam semper fuisse criminum Sacerdoti declarandorum necessitatem, volunt tamen, ad Confessionis essentiam non pertinere utrum publica sit an secreta sed ad aliquod disciplinæ caput quæ fuerit Episcoporum authoritate immutata, quod perindè est ac si dicatur posse Episcopos hoc in negotio agere ad libitum, eorumque arbitrio relinqui ut vel secreta peccata palam declarari jubeant pœnâ nullitatis Confessionis vel secretò tantum declarari permittant.*

VIGESIMA propositio quam insolenter tam falsò reprehendit eam propositionem cujus prior pars vera est; posterior ut potè factum aliquod attingens, apud Theologos controvertitur.

Prior pars notatæ propositionis hæc est; ad Confessionis essentiam non pertinere, utrum secreta sit an publica, quod verissimum est, ut constat ex iis quæ ad decimam octavam propositionem adducta sunt, momentis, ut etiam docent Theologi maximè omnibus noti ac familiares, v.g. Layman de Sacram. Pœnit. cap. 6. n. 1. assert. 11. ubi Sanctum Bonaventuram citat in 4. dist. 17. part. 3. art. 1. quæst. 3 & Navarrus in Manuali suo cap. 2. n. 8.

Posterior pars affirmat istud ad aliquod disciplinæ caput pertinere quod sit Episcoporum authoritate immutatum. Sunt quidem voces illæ Paulo generaliores nimirum innuere videntur aliquandiu viguisse peccatorum palam declarandorum consuetudinem, eamque in Secretam confessionem, Episcoporum authoritate desiisse: quæ sententia superius in undevicesimæ propositionis examine convellitur ubi declaratum est non modo nunquam in Ecclesiâ necessariam fuisse publicam peccatorum confessionem, sed etiam infrequenter admodum, nec nisi in privatis quibusdam Ecclesiis usurpatam eam fuisse, si modo alicubi mos ille obtinuerit.

Verumtamen etiamsi is sensus esse diceretur vocum illarum, non idcirco dignæ essent quas Author propositionis ita contumeliosè insectaretur. Esset quidem facti quæstio leviter & temerè asserta, ut loquitur Sacra Facultas Parisiensis in Lutheri censura. Cens. in propos. Luth. tit. 3. de Confessi. Prop. 2. quæ assertio aliquo forsan ex Origenis & Sozomeni loco qualis in historiâ tripartitâ refertur, negligenter lecto niteretur, aut etiam alteriùs cujusvis authoris fide, v. g. Maldonati è Societate Jesu, qui sic loquitur de 3. condit. Confess. *non est necessarium ad essentiam ut confessio sit secreta, quia longò tempore facta est publicè in Ecclesiâ.* At qui Factum aliquod leviter, aut etiam temere asserit, ille dici non potest *doctrinam tueri Confessionis Arcano è diametro oppositam*, si quidem quicumque publicam confessionem audissent, ii eam æque tectam ac clausam servare tenerentur, ac qui audit secretam; neque illi dici potest *Doctrinam defendere Synodi Tridentinæ menti è diametro oppositam* si quidem Tridentina Synodus id dumtaxat observavit publicam Confessionem non fuisse à

Christo Domino præceptam, nec expedire ut in Ecclesiâ præcipiatur.

Quam iniquius & absque ullo colore rationis eædem illæ voces ab Authore propositionis in eum sensum aguntur quem haudquaquam, ut patet, obtinent. *Quod perinde est ( inquit ) ac si dicatur, hoc in negotio posse Episcopos agere ad libitum, eorumque arbitrio permitti ut, &c.* Nemo est quin videat hîc apertè calumniari Authorem propositionis eamque significationem, illis vocibus affingere quæ nullam habeat cum naturali ac genuino ipsarum sensu cognationem. Dum quis pronuntiat neque ab ipso Christo neque prioribus Ecclesiæ seculis latam esse legem illam quâ qui sacris sunt ordinibus initiati, cælibem vitam agere tenentur, si subdatur istud ad disciplinam pertinere quæ fuerit Episcoporum authoritate immutata, non ideò privati cujusvis antistitis arbitrio permittitur ut in ea re agat ad libitum illâque cælibatûs lege suæ provinciæ Ecclesiasticos vel obligare possit vel liberare. Idem dici potest de quibusvis aliis disciplinæ capitibus quæ cum neque à Christo Domino instituta, neque aliquandiu saltem observata fuerint, alicujus deinceps Concilii Generalis decreto, aut unanimi Ecclesiæ totius consensu ac usu fixa sunt & stabilita.

Sed nihil necesse est ad sensum ita Laxum ac generalem interpretari voces istas, *utrum Confessio publica sit vel secreta, id ad aliquod disciplinæ caput pertinere, quod sit Episcoporum authorite immutatum.* Ut sua illis verbis veritas astruatur sufficit si aliquod tempus possit assignari quo tempore publicæ Confessionis usus alicubi obtinuerit quantùmvis perperam, uti accidit eorum Episcoporum culpâ quos S. Leo in Epistola ad 18. propositionem citatâ reprehendit, qui usus postmodùm Episcoporum authoritate sit abrogatus, nullo mandato, nulla lege editâ ut qui priùs peccata sua palam confessi essent eadem secreto confiteri juberentur. Certè sufficit si publica confessio, in pluribus Ecclesiis aliquandiu viguerit. Atqui multi ita esse affirmant, ex quibus est Petrus Soto Instit. Sacerd. de Confess. lect. 11. quo loco probat, publicam ejusmodi confessionem, non minus quam secretam, fore Sacramentalem.

# XXI. PROPOSITIO.

*Periculum est ne irrita omnino & nullius ad satisfactionem pretii sint quæcumque ante absolutionem pœnæ luuntur, nisi præcedat reconciliatio cum Deo per contritionem : Siquidem nullum opus satisfactorium esse potest, aut meritorium nisi quis in statu gratiæ sit constitutus.*

VIGESIMA prima propositio falsa est, erronea; tum antiquo tum præsenti Ecclesiæ usui contraria, in consectariis, quæ inde erui possunt, periculosissima, valet plurimum ad deterrendos à Pœnitentiæ Sacramento peccatores, aut ad impediendum quominus se ad illud recipiendum; ut par est, comparent atque accingant.

Varia quidem est Theologorum de bonis operibus quæ extra statum gratiæ fiunt, opinio. Quidam illis satisfactionis, ac meriti etiam de congruo, nomen denegarunt. Dominicus Soto in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 4. & Suarez de Sacram. Pœnit. disput. 37. sect. 2. n. 4. contendunt non posse ne de congruo quidem satisfacere qui in peccato versatur. Verum hæc subtiliter potius & argutè quam solidè differunt, ut in locis citatis videri potest. Id intendunt potissimum ut sententiam refellant Scoti, ut aiunt & quorumdam aliorum, quos censuisse affirmant, condonatâ semel peccati culpâ, posse in quovis statu pœnæ quæ luenda superest, fieri satis, etiam absque ullâ vel habituali vel actuali gratiâ, etiam in inferno. Ita sententiam illam explicat Soto §. Quæstio, & Suarez n. 2. & 3. Ait idem Scoto ne de congruo quidem mereri qui in statu peccati est. Ibid. §. ex hâc *opus quod extra gratiam fit, ut dist.* 4. q. 2. *art.* 6. *latè monstravimus, nullius est meriti, neque vero de congruo, alioqui, ut ait Paulus, gratia non esset gratia, saltem non haberet perfectam rationem gratiæ, si congruitas esset in opere, quod ad ipsam disponit* Soto loco cit.

Verùm quamvis penes verba discrepent ab aliis illi

Theologi, in re tamen ipsâ consentiunt. Fatentur omnes ejusmodi pœnas ac bona opera non esse inutilia. Et vero constanter id apud Catholicos teneri & licet solemnibus verbis definitum non fuerit cum ipsis tamen Fidei capitibus affinitate quadam conjunctum haberi debet, illis pœnis ac bonis operibus has saltem quæ sequuntur inesse utilitates.

1. Valent illa ad præparandam justitiæ recipiendæ animam, ad promerendum aliquatenus, saltem per modum dispositionis, divinam gratiam & veniam peccatorum. Sicut enim fide certum est contritionem imperfectam, tametsi non reddat sanctitati hominem, bonam tamen ac utilem esse, animamque ad gratiam suscipiendam præparare, ut est in Concilio Tridentino definitum sess. 14. Can. 5. ita pariter non procul distat à Fidei religione, periculum nullum esse ne irritæ pœnæ sint, irrita bona opera quæ à peccatore fiunt habituali quidem gratiâ destituto sed juvante actuali & *Spiritus Sancti impulsu, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis; quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.* Concil. Trid. sess. 14. cap. 5.

Hinc est quod Sanctus Joannes *dignos Pœnitentiæ fructus* postulet ab eis, qui sua sibi peccata remitti volunt. Quos à peccatorum sordibus abluturos se Baptismatis lavacro spondebant Apostoli, ab iis signa pœnitentiæ quædam petierunt. Sancti Patres & universa Ecclesia peccatores semper hortati sunt ut ultrices à se pœnas repeterent antequam ad absolutionis gratiam aspirarent, quam illi pretium satisfactionis appellaverunt. *Quam porro ineptum, quam iniquum pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere? hoc est pretium non exhibere, ad mercem manum emittere.* Tertull. de Pœnit. cap. 6. Postremò id magna curâ Sacerdotibus inculcaverunt ut priusquam absolutionem peccatoribus impertirentur, perpenderent diligenter ac indagarent quibus illi pœnis & laboribus peccata sua expiassent. *Causæ pensandæ sunt, & tunc ligandi atque solvendi potestas exercenda, videndum est quæ culpa præcessit, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam* S. Greg. Homil. 26. in Evang.

2. Valent etiam illi labores ad impetrandam æternæ, quæ peccato debetur, pœnæ condonationem. Cum enim illa æternæ pœnæ condonatio ipsius peccati remissioni connexa sit atque obligata quæ res ad alteram impetrandam valet, eadem alteri pariter obtinendæ inservit.

3. Divinam iram avertunt, removent omnino aut saltem valdè minuunt temporales pœnas quas vult Deus ob peccatum infligere. Id probat S. Thomas exemplo Achab. Regis. Supplem. quæst. 14. art. 5. *Verumtamen diminutionem, vel dilationem temporalis pœnæ merentur ejusmodi opera sicut patet de Achab.* 3. Reg. 21.

Id etiam probat adductum à Concilio Tridentino Ninivitarum exemplum. Sic enim habet sess. 14. cap. 4. ubi de contritione imperfecta loquitur. *Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ, ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam à Domino impetrarunt.* Non erant in gratiâ constituti Ninivitæ, si quidem, ut ait Concilium, illam duntaxat imperfectam contritionem habebant, illumque divinæ iræ timorem qui per se non efficit hominem justum. Docent tamen cum scripturæ tum sacrosancta Synodus id effecisse populum hunc in eo ipso statu degentem, jejuniis ac reliquis ejusmodi operibus suis ut divinam iram placaret & impendentes sibi pœnas averteret.

Huc etiam congeri possent ea Concilii cap. 8. verba. *Neque verò securior ulla via in Ecclesiâ Dei unquam existimata fuit, ad amovendam imminentem à Deo pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent.* Non solos ad illa pœnitentiæ opera justos vocat Ecclesia, verum etiam peccatores. Imo videntur illi ad ea instigari vehementius, quandoquidem iis est ab imminente pœnâ & justitia Dei ultrici metuendum magis.

Vix ac ne vix quidem tria hæc ad istam propositionem vigesimam primam quadraverint. Licet hujus propositionis Author diverticulum sibi aliquod ad effugium reliquisse ex industria videatur, dum implicatis adeò ambagibus verbisque ita fallacibus & captiosis sententiam suam intricavit, tamen si modo bona fide agere voluerit fateatur necesse est *periculum nullum esse ne irrita omnino*

*& nullius ad satisfactionem pretii sint* quæcumque extra gratiæ statum pœnæ luuntur ; etenim si triplicem quam retulimus, secum utilitatem importent dici nullatenus potest non esse eas neque *satisfactorias*, *neque meritorias.*

Porrò inter omnes Theologos ac Catholicos , qui tres illas ejusmodi pœnarum utilitates non agnoscat, reperire est omnino neminem. Idcircò probat Cardinalis Bellarminus , idque unanimi Catholicorum omnium consensu receptum esse & â Solis hæreticis negari innuit. *Actum pœnitentiæ quatenus ab auxilio , gratiæ & à libero arbitrio procedit, & hominem disponit ad justificationem , ipsius justificationis causam dici posse aliquo modo etiam efficientem* de Sacramento Pœnit. lib. 2. cap. 12. Licet enim ibi agat de contritione , manifestum tamen est , hanc esse illius mentem ut principium aliquod generale stabiliat quod sit omnibus Pœnitentiæ actibus commune. Quin etiam dum explicat quemadmodum satisfactio divinam justitiam placet & expiet peccatum , monet lectorem ut adeat ea quæ de contritione disseruit. *Quod si veteres Patres interdum actionibus humanis tribuere videntur, ut Deum ex inimico amicum reddant , atque adeò pro expiandâ culpâ satisfaciant , interpretandi sunt de satisfactione ex congruo, non ex condigno , ut Libro Superiore diximus de vi & merito contritionis* lib. 4. cap. 1.

Hæc sunt momenta gravissima quibus adducta quondam est, & etiamnum adducitur Ecclesia ut pœnas subeundas imponat etiam iis, quibus, ut fiat de illorum pœnitentia certior, aut aliis de causis, non statim concedendam esse absolutionem judicat. Sive autem illæ pœnæ ante absolutionem & extra gratiæ sanctificantis statum exhaustæ, effectum suum sortiantur ex opere operato , ut probat Isambertus, disput. ultimâ *Non solum ex naturâ operis* ut loquitur S. Thomas in eo loco quem Isambertus citat, *sed etiam ex vi clavium quatenus pars Sacramenti* sive alio quovis modo, certè suus illis effectus non deest , *periculum non est ne irritæ omnino & nullius ad satisfactionem pretii sint.* Non peccat quæ eas imponit Ecclesia, sed maximè distat ab Stolida quam toties Montanistis & Novatianis objecit immanitate , qui pœnas

imperarent ejusmodi quæ inutiles essent & ad veniam recipiendam non præpararent. *Nihil enim agendum est frustra, omnis autem pœnitentia agenda est .... porro frustra agitur, si veniâ caret.* Sunt hæc Catholicorum verba quæ ipse sibi Tertullianus objicit postquam in errorem concessit Montanistarum. de Pœnit. cap. 3.

Illis etiam principiis nititur Sanctus Thomas, dum confessarios admonet ut rationem ducant laborum à pœnitente exhaustorum, ut pro acceptis habeant, ut tantumdem ab iis quas injungere debent pœnis deducant, ut leviores imponant pro majori quibus ille se præmunierit, bonorum operum numero. *Quanto est major contritio, tanto magis diminuit de culpâ, & quantò aliquis plura bona facit in peccato existens, magis se ad gratiam contritionis disponit; & ideo probabile est, quod minoris pœnæ sit debitor, & propter hoc deberent à Sacerdote discretè computari, ut ei minorem pœnam injungat, inquantum invenit eum meliùs dispositum.* Suppl. q. 14. art. 3. 1.

Denique hoc fundamento stat communis, ut vocat Cardinalis à Lugo, Theologorum omnium sententia quæ docet posse aliquando Confessarium à Pœnitente etiam ritè ad recipiendam absolutionem comparato, exigere ut pœnis imperatis defungatur, priusquam hanc illi impertiat. Post quam ille Cardinalis propositionem hanc probavit *Confessarium posse differre absolutionem per aliquot dies, licet pœnitens sit legitime dispositus* n. 167. eamdem confirmat. n. 170. *Ex communi Doctrinâ Theologorum qui dicunt posse Confessarium aliquandò obligare pœnitentem, ad implendam pœnitentiam ante absolutionem; quod licet non possit facere per modum vindictæ & punitionis, potest saltem facere per modum medicinæ; quando judicat id necessarium vel utile pœnitenti: ex eo quod soleat facilè omittere posteà pœnitentias sibi impositas, vel ut Confessarius certus sit de pœnitentiâ impletâ, vel ob alios fines, ut docent Suarez, Reginaldus, & alii, quos refert & sequitur Bonacina.* De Pœnit. dist. 5. q. 5. S. 3. Pun. 2. n. 20. de Lugo.

Qui volunt verum esse illud factum, eamque fuisse pristinæ Ecclesiæ consuetudinem, ii sententiam suam multis argumentis muniunt. Adducunt illi ea quæ in Montanistas ac Novatianos Patres antiqui scripserunt. Quibus nihil magis familiare est quam ut illis hæreticis exprobrent ac crimini vertant quod tametsi ipsis cum Ecclesiâ Catholicâ conveniat, eamque in imperandis ejusmodi pœnis imitentur, tamen peccatores quibus illas injunxerunt veniæ spe non erigant ac sustentent. Extat illud argumentum in Libro Tertulliani de pudicitiâ cap. 3. in Epistolâ Cypriani 52. ad Antonianum, sub finem. Idem reperias apud Pacianum Epist. 1. Ambrosium de Pœnit. lib. 1. cap. 16. & lib. 11. cap. 9. Eadem consuetudo veteris Ecclesiæ probatur ex Epist. S. Leonis 91. nunc 83. ad Theodorum Forojuliensem, ex Canone 21. Concilii 3. Toletani, ex capite 7. primæ Innocentis primi Summi Pontificis Epistolæ, postremo ut alia mittantur, ex his ut putatur, Zephyrini Papæ verbis quæ à Tertulliano Montanistâ facto referuntur & refelluntur de Pudicitiâ cap. 1. *Ego Mœchiæ & fornicationis delicta pœnitentiâ functis dimitto.*

Constat quidem maturatam aliquando neque semper ad integram usque satisfactionis expletionem dilatam absolutionem fuisse, cujus rei fidem faciunt Ss. Cypriani & Leonis epistolæ; quin etiam, ubi hæc in Ecclesiâ consuetudo cœpit obtinere, ut plures gradus ac variæ quasi pœnitentiæ publicæ stationes distinguerentur, volunt Authores bene multi concessam absolutionem fuisse priusquam ad ultimam ventum esset illarum stationum; verum neque illæ neque aliæ quævis exceptiones unquam impedierint, quominus sit hæc vulgatissima inter Câtholicos Authores opinio, ut generatim loquendo, concessa non fuerit absolutio nisi post expletam si non omnino, saltem magnâ ex parte satisfactionem.

Si verum est factum illud; si *fuit id prioribus Ecclesiæ sæculis constanter observatum ut ne daretur absolutio nisi post expletam satisfactionem* quid jam superest? Quamvis enim hic ordo fuerit postmodum inversus, tamen sitne ille maximè rectus ac simplex, nullius ferè momenti quæstio est;

*tes absolvi non debere.* Quæ voces damnant omnino tum præsentem Ecclesiæ morem, tum eum etiam qui olim ut modo observatum est, in quibusdam saltem occasionibus adsciscebatur. Liquidum est illam Ecclesiæ consuetudinem eâ quæ in propositione arguitur sententiâ, non damnari; neque enim insinuat illa opinio, non debere nunc à peccatis suis absolvi qui satisfactione sibi impositâ nondum omnino defunctus est. Sixtus 4. Constit. 17. licet ea. p. 3.

Quod attinet ad censuram quæ dicitur à Facultate Parisiensi edita die 1. Julii an. 1641. nulla neque illo die, neque toto deinceps anno extat quæ ad præsens argumentum pertineat. Nec verò usquam reperietur damnatam â Facultate Parisiensi fuisse opinionem illam quæ tantopere in propositione reprehenditur.

---

## XXIII. PROPOSITIO.

*Errant vehementer & turpi ac deflendâ ignorantiâ laborant qui cum absolutione Sacramentali fori interioris permiscent & confundunt ritus antiquos publicæ, Canonicæ & Cæremonialis absolutionis quæ vigente priorum severitate sæculorum, palam & extra Pænitentiæ Sacramentum ob scandalosa quædam ac publica flagitia quorum punitio ad forum exterius pertinet, nonnisi post perfectam omnino satisfactionem scandali emendandi causâ concedebatur, quæve nullatenus erat Sacramentalis.*

VIGESIMA tertia Propositio evidentem habet cum vigesimâ secundâ cui consequens est Doctrinæ similitudinem; hoc ipso temeraria est & falsa. Hinc etiam eminent projecta Authoris audacia & injustitia.

Nullus est, quod sciatur, Catholicus scriptor qui Sacramentalem à publicâ Canonicâ & Cæremoniali absolutione non decernat. Ex illâ utriusque absolutionis distinctione exurgit responsio ad ea quæ hæretici adversum nos ex 12. nunc Cypriani epistolâ depromunt, ubi le-

gitur abſentibus Epiſcopis ac Presbyteris abſolutionem quandam fuiſſe à Diaconis conceſſam.

Verum dum loquitur propoſitionis Author de iis qui Sacramentalem abſolutionem à canonicâ & cæremoniali non diſtingunt, facile intelligitur, id eum ſibi proponere ut eos perſtringat ac denotet quos in præcedenti propoſitione impugnavit, qui affirmant, *id fuiſſe prioribus Eccleſiæ ſæculis conſtanter obſervatum ut ne daretur abſolutio niſi poſt expletam ſatisfactionem.* Duplicem illam abſolutionem ideo diſcriminat, ut ſignificet, in more poſitum fuiſſe ut abſolutio Sacramentalis, ineunte, publica vero deſinente demum ſatisfactionis tempore concederetur. Ut autem declinet ac eludat multa Patrum & Conciliorum loca ex quibus probatur abſolutionem datam non fuiſſe niſi poſt expletam ſatisfactionem, ea ille ita vult interpretari quaſi exteriorem quandam abſolutionem, merè cæremonialem, & à Sacramentali diſtinctam denotent.

De ipſa quæſtione nulla hic controverſia inſtituitur de qua nihil quidquam ab Eccleſiâ decretum fuiſſe, jam antea declaratum eſt. Si qui ſint qui propugnatam ab Authore propoſitionis opinionem ſequantur ii ipſi non poterunt quin propoſitionem condemnent, multumque in eâ, ſi modo penitus introſpicere voluerint, non audaciæ modo & malignitatis ſed etiam temeritatis ac falſitatis deprehendant; idque in duobus præcipuè quæ illa propoſitio complectitur.

1. Sub falſa imagine repræſentat ille Author ſententiam quam impugnat atque ut aliquem colorem quærat erroris & ignorantiæ nominibus quibus eam opinionem obruit, malignè inſinuat duo quædam in eâ confundi, quæ revera non confunduntur, neque certè confundi ullomodo debent. Et vero qui ab Authore propoſitionis impetuntur, eos Sacramentalem cum publicâ Canonicâ & cæremoniali abſolutione non confundere, vel ideo patet quod fateantur illi conceſſam multoties fuiſſe Sacramentalem abſolutionem ob peccata quædam quæ pœnitentiæ publicæ non erant obnoxia, adeoque publicâ, canonicâ & cæremoniali abſolutione non indigebant. Accedit quod iidem agnoſcant cæremonialem aut à pœnis Canonicis

absolutionem datam aliquando fuisse ab iis quibus potestas non erat Sacramentalem à peccatis absolutionem conferendi. Reliquum igitur est ut vel Author propositionis opinionem oppugnet ejusmodi cui patrocinatur nemo, vel si adversus explicatam modo sententiam insurrexit, eam misere deformet, aliter quam se habet exponat ejusque defensoribus imponere voluerit.

2. Erroris & deflendæ ignorantiæ notas inurit, huic ita deformatæ à se opinioni. Ea certè nomina infligantur insulsæ & absurdæ prorsus sententiæ quæ nullum nisi ignobilem & labefactatæ apud homines æstimationis, sui defensorem agnoscat, at vero quod illis omni contumelia ac vituperio plenis vocibus indignè traducatur validis licet argumentis nixa & apud plerosque Theologos recepta opinio, id illæsâ charitate, justitiâ, veritate, fieri non potest. Atqui talis est Sententia ab authore propositionis impetita. Legantur quæ in præcedentis propositionis examine dicta sunt.

Sed quoniam ideo in crimen erroris ac deflendæ ignorantiæ adducuntur quos impugnat propositionis Author, quod de Sacramentali à peccatis absolutione intelligant ea quæ ille de cæremoniali & publica à pœnis canonicis absolutione interpretatur; haud abs re fuerit ostendere, nullam hâc in re neque erroris neque ignorantiæ labem reperiri: Duo tantum ad id SS. Cypriani & Leonis loca proferentur.

S. Cyprianus qui multis Epistolis & toto suo quam longus est de lapsis tractatu, id unum agit ut evincat concedendam non esse absolutionem etiam iis quibus martyrum rogatu solito citius indulgebatur nisi post decursum aliquod satisfactionis tempus, ita loquitur: *Cæterum si quis præpropera festinatione temerarius remissionem peccatorum dare se cunctis putat posse, aut audet Domini præcepta rescindere, non tantum nihil prodest, sed & obest lapsis. Tract. de lapsis.* Nemo sanè dixerit, errare vehementer & turpi ac deflendâ ignorantiâ laborare qui verba illa de remissione peccatorum aut absolutione explicaverit.

S. Leo epistolam suam 91. in nonâ editione 83. ad Theodorum Forojuliensem ideò scribit, ut ei denuntiet, deno-

gandam non esse reconciliationem neque communionem iis qui eam in extremo vitæ articulo positi efflagitaverint Sacramentalem procul dubio absolutionem illi flagitabant, hanc ipsam iis indulgeri vult S. Cyprianus. Id satis significat Sanctus ille Pontifex, dum ait eos tam parvo mortis discrimine esse ut *vix inveniat spatium vel Confessio Pœnitentis vel reconciliatio Sacerdotis* deinde dum adjicit *verum ut dixi etiam talium necessitati ita auxiliandum est, ut & actio illis pœnitentiæ & communionis gratia, si eam etiam amisso vocis Officio, per judicia integri sensus postulant, non negetur* cap. 5.

Ex his patet velle Sanctum Leonem idque ex Ecclesiæ regula ut absolutio Sacramentalis ante satisfactionem concedatur iis hominibus quibus grave quoddam periculum mortis imminet. Atqui non minus apertum est eandem ab eodem regulam afferri ut quæ absolutio necessitate urgente ante decursum satisfactionis stadium indulgebatur, ea, extra necessitatis casum nonnisi post exhaustos omnino satisfactionis labores impertiatur *ut & confitentibus actionem Pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent* c. 11.

Ita ratiocinantur illi Theologi quorum sententiam perstringit Author propositionis. Efficax sit illud argumentum necne, certè ideo tantum hic affertur ut pateat non posse illud *erroris & deflendæ ignorantiæ insimulari.*

Sunt & alia quæ in eadem propositione merito notari & carpi possent.

Significat v. g. ille Author canonicam quam vocat absolutionem, adeoque satisfactionem publicam quâ illa concludebatur non cecidisse *nisi in publica quædam eaque atrocissima flagitia quorum punitio ad forum exterius pertinet. Verumtamen ex iis quæ ad 6. propositionem observata sunt, constat publicam satisfactionem ob secreta etiam flagitia fuisse impositam.*

Præterea, nullum alium, ut videtur, effectum, nullam aliam solemnis ejusmodi absolutionis, & quod consequens est, pœnitentiæ publicæ, rationem agnoscit ille Author præter scandali emendationem. Erat tamen vetus hæc Ec-

clesiæ disciplina pluribus aliis iisque maximi momenti rationibus atque argumentis fundata. Nimirum hæc in primis Ecclesia intendebat, ut peccati contagio reprimeretur, cursus frænaretur, malitia plecteretur, ut placaretur ira Dei, misericordia flecteretur, ut sanarentur inflicta peccatoris animæ vulnera, ut ille se ad gratiam recipiendam abjectione sui voluptatumque omnium præcisione præpararet, &c. Ad extremum, non est dubitandi locus, quin publicæ illæ pœnæ effectum eundem obtinuerint & eodem fine impositæ fuerint quos exponit Concilium Tridentinum ubi de quavis satisfactione loquitur, *sessi.* 14. *cap.* 8.

Ex his omnibus patet propositionem hanc vigesimam tertiam non minus temerariam ac injustam esse quam quæ præcedit, atque adeo æque damnari hanc debere ac illam cui affinitate quadam devincta est.

---

## XXIV. PROPOSITIO.

***Sublatum eunt omnem Pœnitentiæ & Eucharistiæ usum, qui persuadere volunt non licere peccata sua confiteri extra Diœcesim imo ne extra paræciam quidem suam. Efficax est dura hujusmodi atque imperiosa lex ad conflandum Pœnitentiæ Sacramento odium.***

VIGESIMA quarta propositio falsa est, scandalosa, temeraria, regulis ac Canonibus Sanctorum Conciliorum contraria, idonea quæ subruat Hierarchiam, quæ perturbet concentum illum atque Harmoniam quâ fideles tenentur legitimis pastoribus suis adhærere ac eorum potestati subjacere.

Illa propositio censuram continet hujus alterius propositionis: *Non licet peccata sua confiteri extra Diœcesim, imo ne extra paræciam quidem suam.* Quamobrem si vera sit hæc ultima propositio, si sancta, si ordini in Ecclesiâ tenendo consentanea, quæ illam condemnat periculosior est eò quò fellis arrogantiæ plenior.

Norunt omnes non licere apud eum Sacerdotem peccata deponere neque abſolutionem ab illo recipere qui poteſtatem abſolvendi non habeat, eam vero poteſtatem nihil aliud eſſe quam juriſdictionem ipſi in certum fidelium numerum conceſſam. Ex illo Sacerdotibus collato jure exurgit quædam in fidelibus ſubjacendi neceſſitas ita ut quemvis pro libito confeſſarium eligere nequeant, ſed eos adire teneantur qui ſunt ipſis attributi. Id Statuit Tridentina Synodus ſeſſ. 14. quâ doctrinâ ſtat quidquid de caſibus reſervatis docet idem Concilium.

Cum igitur Epiſcopus in omnes ſuæ Diœceſeos, Parochus, in omnes parœciæ ſuæ fideles jus obtineat, ſequitur privati cujuſdam arbitrio non permitti, *ipſi non licere*, ſubducere ſe præſulis ſui juriſdictioni, ſi extra Diœceſim, aut Parochi, ſi extra parœciam peccata ſua depoſitum eat. Eſt hæc legitima & à multis ſæculis in Eccleſia comparata ratio. Id obtinebat multo ante regulares exortos tempore, Ille mos non modo non in deſuetudinem abiit dum ad Hierarchiæ quædam miniſteria admiſſi regulares ſunt, ut etiam novum inde robur acquiſierit, ſiquidem ita illi admiſſi fuerunt ut ſemper ratio duceretur antiqui illius & longo uſu conſecrati ordinis, ut ei ſe ipſi ſubjicerent.

Sed quemadmodum regulam generalem non deſtruunt ſed confirmant potius ac quaſi muniunt peculiares exceptiones, ita pariter hæc regula quæ in ſe veriſſima eſt, *non licere extra Diœceſim, imo ne extra parœciam quidem ſuam peccata deponere*, certis quibuſdam exceptionibus reſtringitur quæ illam non tam peſſumdant quam ſtabiliunt magis ac novis viribus adaugent.

Eſt vulgo recepta & in pietate fidelium poſita conſuetudo ut ſi quis itinere ſuſcepto à ſuâ Diœceſi peregrinetur liceat peccata ſua probato in ea ubi eſt, Diœceſi, Presbytero confiteri, qui uſus bona fide ac pietate Chriſtianorum nixus atque fundatus non prodeſt ſi iſtud fiat pravo animo &, ut vocant, fraude ac dolo malo, nimirum ut ſe quis Epiſcopi cui eum divinæ mentis providentia ſubjecit juriſdictioni furetur ac ſurripiat. Vult Sanctus Carolus tanquam inconfeſſum haberi qui ea mente at-

que consilio in aliam Diœcesim peccata sua confessurus migraverit. *Qui ad Confessarium etiam regularem in alienâ Diœcesi commorantem deditâ operâ se conferens, peccata sua sit Confessus, nisi Confessarius ille, & ab Episcopo loci & à confitentis ordinario ad confessiones audiendas probatus erit, ei tanquam inconfesso Parochus Eucharistiæ Sacramentum ne præbeat. Illius præterea ordinarius cujus Confessionem ille Sacerdos non probatus audierit, ne eum patiatur in suâ Diœcesi Confessiones per biennium audire, neque ibidem concionari* Concil. 3. Prov. p. 1. de iis quæ ad Pœnit. Sacr. pertinent; quod iterum inculcat in 3. Synodo Diœcesanâ ubi loquitur de Confessione Paschali. Idem videre est in mandatis Synodalibus Gratianopolitanæ Diœceseos tit. 6. art. 6. n. 38. quid eâ de re sentirent jam diu aperuerunt Theologi 33. in decisione an 1666. typis mandatâ casu 28. ad 3. quæstionem.

Est hoc etiam in more positum, ut quamvis Sacerdoti non liceat ad Confessionem admittere eum qui de sua paræcia non est, admittat tamen si forte eum illuc iter detulerit, modo absit dolus, modo non eo animo venerit ut se paræciæ suæ subducat. Id etiam jubet Sanctus Carolus in 11. suâ Diœcesanâ Synodo *Monita executionis decretorum quæ ad Sacramentalia &c, Nequis Parochus Confessionem audiat hominis alienæ Parochiæ. Advenas autem & peregrinos quos intra Parochiæ suæ fines brevi tempore in Diœcesi morari contigerit, audire liceat, etiam tempore Paschali, nisi fortasse de industriâ eo accesserint, ne in Parochiali Ecclesiâ Sacramenta sumant.*

Ex illo eodem usu atque ex permissu Summi Pontificis licet regularibus in aliquâ Diœcesi approbatis audire peccata eorum omnium, qui in illa Diœcesi versantur, ex quacumque sint paræciâ dum ii se se offerunt, excepto tempore ac demptis occasionibus, quibus id Ecclesiæ Institutis, Decretis. Antistitum ac variâ Dœceseon disciplinâ prohiberi potest.

Attamen, ut jam observatum est nedum exceptiones illæ suam huic legi vim auferant, *Non licere extra Diœcesim, imo ne extra paræciam quidem suam peccata confiteri*, majorem contra ei addunt authoritatem. Neque enim in

occasionibus supra memoratis censeri quisquam debet extra Diœcesim aut paræciam suam peccata deposuisse.

Itaque quamvis illa lex quæ jubet omnes unoquoque anno peccata sua in propriâ paræciâ confiteri, nonnullas ex iis quas modo retulimus exceptiones recipiat, ut ex verbis S. Caroli intelligere est, verbis tamen generalibus effertur tum apud Lateranense Concilium in celebri Canone *omnis utriusque* tum in plerisque ritualibus libris, in quibus, ut & in Parisiensi legitur, debere fideles omnes saltem semel unoquoque anno peccata deponere apud Pastorem suum aut alium quemvis Sacerdotem cui has ille partes demandaverit. In concione vulgo *pronao* Dominicis Passionis & Ramorum fieri solitâ: quæ propositio in eandem censuram incurrit ac ea quæ in hac vigesimâ quartâ notatur, si quidem in eamdem omnino cum illâ sententiam conspirat.

Vera igitur & probanda est generalis illa lex *non licet peccata sua extra Diœcesim, imo ne extra paræciam quidem suam confiteri* neque condemnari aut reprehendi ullo modo potuit sed dumtaxat ad usum ac disciplinam Diœceseos explicari.

Quin etiam, posset Episcopus pro jure suo legem illam in suâ Dœcesi ad verbum & recisis quibusvis exceptionibus observandam imperare. Exempli gratiâ, prohibere posset ne ulli regulares quantumvis in suâ Diœcesi approbati quempiam ad Confessionem admitterent nisi qui ad eos à Parochis remissus fuisset, aut, quod idem est, posset indultæ regularibus approbationi clausulam hanc inserere *de consensu rectorum* quæ vulgo in approbandis aliis Sacerdotibus enuntiatur. Nullum eâ de re dubium superesse potest, post tot Summorum Pontificum Bullas, tot decreta Congregationis Cardinalium, post edita Cleri Gallicani instituta, post latum in Regulares Aginnenses edictum, aliaque id genus argumenta plurima quibus evincitur posse Episcopos facultates quas Regularibus concedunt audiendi peccata, quibus voluerint exceptionibus ac limitibus circumscribere.

Atque hinc evadit ista propositio reprehensione ac censurâ dignior cum ipsa unius Episcopi verba impugnet.

Quod

Quod in ea affirmetur sententiam illam *Sublatum ire Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta* id intolerandæ audaciæ est. Quod autem in eandem illam sententiam conjiciantur ea quæ ab hæreticis adversus Confessionis necessitatem congesta sunt, videlicet *duram esse hanc legem, asperam, imperiosam, valere illam plurimum ad conflandum Pœnitentiæ Sacramento odium*, id vero insaniæ cumulus est, neque habet ultra quo impotentis animi æstus abripiatur.

---

## XXV. PROPOSITIO.

*Rem molitur si qua fingi potest, horribilem, atrocem; infert Sacramentis contumeliam, adeoque viam munit ad ea penitus subruenda, præripit fidelibus eam quæ ipsis inest Confessarios sibi eligendi facultatem, spernit authoritatem Summi Pontificis, deflectit ab Ecclesiæ consilio & voluntate conceptis vocibus in Iubilei Bullis expressâ super illa Confessarios eligendi potestate, qui vetat, ne quis ad Catholicam Fidem recens conversus, aut quivis alius de hæretico genere peccata sua per Paschale tempus concionatori Monacho confiteatur, ea nimirum prætentâ ratione quod cum ille vulgo ibi non commoretur brevique sit, post expletum muneris sui stadium discessurus, per temporis angustias non possit probatam habere illorum hominum Fidem, religionem, pænitentiam neque penitus indagare sintnè, ut par est, ad recipienda Sacramenta comparati.*

VIGESIMA quinta propositio singularem quemdam casum attingit quo in casu debuit agere Episcopus prout infusa ipsi à Deo prudentia suggessit. Quoquo modo se gesserit unum habet facti sui arbitrum ac judicem Deum, certè illud excutere ac reprehendere hominum non est ipsius ditioni subditorum. Fieri quidem potest ut inter eos qui recens ad Catholicam Fidem accesserunt quive de genere sunt hæretico reperiantur nonnulli qui suæ pietatis, suæ in Ecclesiæ Sacramenta venerationis, suæ

in adimplendis omnibus officii sui partibus diligentiæ tam insignia argumenta dederint, ut durum videri posset si concessa universæ paræciæ facultas peccata sua apud doctum concionatorem deponendi, iis unis denegaretur. Sed fieri etiam potest ut nonnulli reperiantur, imò verisimile est non defuisse quosdam ejusmodi, quibuscum eo modo qui in propositione refertur, agi non utile modo sed etiam necesse fuerit.

Forte etiam id consilii ac prudentiæ fuit, quod Episcopus legem fixerit omnibus qui nuper ad Catholicam Fidem redierant, sive quod paucorum omnino vera ac sincera illa mutatio esset, sive quod parum sciens haberetur ille concionator earum rerum quæ cum hujusmodi hominibus tractandæ veniunt, quamvis aliundè potuerit cum laude, concionatoris officio fungi & aliorum Christianorum conscientiam introspicere ac regere.

Atque hactenus de ipso Antistite disputare vacat. Id vero prætermitti nequit Authorem propositionis in temeritatis & scandali crimen venisse, qui Episcopum hâc in re vituperare ausus sit; ita namquè populorum animos adversus Antistitem suum exulcerat ac sollicitat, à quo illi deficere non possunt quin simul à Christo & Ecclesiæ Societate deficiant. *Scire debes Episcopum in Ecclesiâ esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesiâ non esse* Sanctus Cypr. epist. ad Florent. refertur c. scire debes 7. q. 1.



# XXVI. PROPOSITIO.

*Fateor equidem bene agi cum illis hominibus qui nullum pietatis sensum habent, qui eousque sunt Divinæ gratiæ rebelles ut in letalia flagitia præcipites ultro ruant, si per breve aliquod tempus a Sacrâ Christi mensâ removeantur ad injiciendam ipsis Divinæ illius escæ venerationem. Id potissimum observari debet cum quis in turpium atque atrocissimorum flagitiorum cœno diu hæsit & præsertim in impudicitiæ criminibus consenuit a quâ maximè abhorret Divina Virginum sponsi castitas ac sanctimonia. Id tamen nullatenus patrocinari debet consuetudini novatorum, hostium Eucharistiæ infensissimorum qui per quatuor, per sex menses, per annos quandoque integros Sacramentorum aditum Pœnitentibus intercludunt, ut illi nimirum miseri omne desiderium, sensum omnem, omnem Divini illius alimenti recordationem abjiciant, postremo ut in iis fastidium quoddam, quædam ab Eucharistiâ imo & Confessione ingeneretur aversio. Sacræ Communionis dilatio iis hominibus præcipienda qui in gravissimis ac maxime portentosis sceleribus diu jacuerunt & inveteratam contraxerunt fœdissimorum peccatorum consuetudinem ultra decem aut quindecim dies protrahi non debet: nonnumquam quatuor aut quinque sufficient, ne illi maximo quod eorum infirmitati afferri possit, subsidio hoc est Sacra Communione, priventur.*

VIGESIMA-SEXTA Propositio falsa est, erronea, scandalosa, Christianas aures offendit, Christo, atque Augusto ipsius Corporis & Sanguinis Sacramento contumeliam facit, valet ad retinendos in peccatis Christianos, ad elevandam clavium authoritatem, ad expellendum gravissimorum flagitiorum horrorem ac pænitentiam, non multum abhorret ab impietate & blasphemiâ.

Quamvis certum ac definitum omnino tempus figi ne-

queat quousque Absolutionis ac Communionis dilatio; dum ea expedit, producenda sit. Quamvis ob imminens mortis periculum aut summum quem pœnitens exhiberet, dolorem, debeat id maturari quod leges ordinariæ retardant, tamen quoniam Propositio generatim loquitur, agitque de regulis & casibus maximè usitatis debent in eâ bene multa designari quæ defendi non possunt & à sanctis fidei Christianæ institutis quam longissimè recedunt.

I. Magnam id temeritatem atque audaciam habet quod ab Authore Propositionis, *Novatorum*, *Hostium Eucharistiæ infensissimorum* nomine appellentur ii qui homines gravissimorum criminum reos ab Eucharistiâ, *Per quatuor, per sex menses, per annos quandoque integros rejiciunt*. Refunditur atrox illud & indignum prorsus crimen non in Eliberitanum modò, aliaque id genus Concilia plurima, sed in Ecclesiam quoque universam, cujus non immerito dici potest hanc fuisse veterem disciplinam ut publicos pœnitentes per multos menses aut etiam per multos annos, non a communione duntaxat sed ab ipsa etiam absolutione amandaret quemadmodum est ad xxiii. Propositionem declaratum.

Mutata quidem est hoc in negotio Ecclesiæ disciplina. Non modo jam pœnitentiæ publicæ usus non viget, sed etiam id vulgo obtinet ut ad concedendam absolutionem non expectetur donec expleta sit Pœnitentia.

Sed Disciplinam duntaxat, non mentem Ecclesia mutavit, & hæc illius constans ac perpetua regula verbis ipsius Christi nixa, *nolite dare sanctum canibus* Math. 5. Apostoli deinde præcepto renovata, *probet seipsum homo* 1. Cor. 11. tot olim Sanctis Patribus attestata, tot Conciliis confirmata, tanto studio ac solicitudine in nostris Ritualibus libris etiamnum inculcata ut nemini à confessariis neque absolutio neque communio concedatur nisi in quo, re maturius expensâ, nihil omnino desiderari viderint eorum quæ sunt ad utramque recipiendam necessaria.

Nullam neque tutiorem neque prudentiorem regulam sequi potes ad æstimandum quidnam debeas ab eo qui peccata sua confitetur, exigere priusquam absolutionem

illi impertiaris, quam si ea ab ipso postules quæ Concilium Tridentinum necessaria esse affirmat ut quis in gratiam cum Deo redeat per justificationem. Illa porro ad sex omnino conditiones revocari possunt quæ *Seff. 6. cap. 6.* fusius explicantur. Quandiu iis caret qui peccata sua confitetur frustra eum absolvit Sacerdos cum justificationis gratiam recipere non possit, atqui non raro accidit ut quædam imo multæ ex illis conditionibus desint in eo qui peccata sua deponit ; aliunde vero satis longo opus est tempore ut eas possit assequi.

Quamobrem non unus quidam sed omnes Rituales libri adeoque Ecclesia universa juxta Sancti Caroli mentem, in suis ad Confessarios erudiendos institutionibus, hoc præcipiunt, *Videat diligenter Sacerdos, quando & quibus conferenda* ( addunt multi ) *vel neganda, vel differenda sit absolutio; ne absolvat eos qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris, &c.* Sunt igitur qui dum ad Confessionem accedunt nullatenus idonei videri debent quibus absolutio concedatur, sunt quibus non modo differenda, sed etiam omnino deneganda est. Denegari debet iis quorum ita præceps in malum animus videtur ut rapta restituere & injurias condonare nolint &c. Debet iis differri qui non nisi fluctuantem ac incertam habent criminis reliquendi voluntatem, qui nondum satis obfirmato animo sunt ut se subtrahant ab omnibus peccandi illecebris, quas occasiones proximas appellant, &c. Tandiu autem differri debet usquedum credendi locus oboriatur debilem illam ac infirmam voluntatem in verum quoddam & tenax propositi consilium cessisse. *Certum est inquit Cardinalis de Lugo, quando dilatio necessaria est ad explorandum propositum Pœnitentis, de quo non satis constat, posse & debere differri absolutionem*, de Pœnit. disp. 14. sect. 10. quæ mutatio non fit repente aut horæ momento, sed nonnumquam sat longum temporis spatium postulat præsertim in peccatoribus ejusmodi quos adumbrat Propositio qui turpissimis quibusque flagitiis miserè tenentur implicati. Illorum namque vitiorum vincula non nisi post multos conatus ac diuturna certamina rumpi posse tum Sancti Augustini exemplum tum ea quæ

ſcripſit ipſe in ſuis confeſſionibus, ſatis teſtantur. *Lex enim peccati eſt violentia conſuetudinis qua trahitur & tenetur etiam invitus animus, ex merito, quo in eam volens illabitur.* Conf. lib. 8. cap. 5. & ſeq.

Quod non ita debet accipi quaſi certam quamdam legem figi oporteat Pœnitentes per quatuor, per ſex menſes, per annos etiam integros removendi. Ex hac ancipiti atque alternâ loquendi ratione ſatis patet ab iis quos impugnat Propoſitio, certam ac fixâm regulam non ſtatui. Non ex diuturnitate temporis computanda regula eſt ſed ex affectu & pietate Pœnitentis, quam ut compertam habeas utplurimum quidem intervallo quodam opus eſt, ſed non eodem cum omnibus, cum nonnullis longiori, cum aliis breviori. Ac quemadmodum nonnulli forte repeRiuntur quos neceſſe non fuerit per quatuor & ſex menſes probari, non deſunt etiam qui poſt anni experimentum iidem omnino ſunt, aut etiam pejores quam cum peccata ſua primum depoſuere.

Neque expedit quemvis peccatorem, per quatuor, per ſex menſes, per annum integrum removere, ita ut qui abſolutionem ei differt Sacerdos prohibeat ne ille ſe ante conſumptum iſtud tempus ad Confeſſionem ſiſtat, imo optimum factu eſt ſi jubeatur aliquoties peccata ſua Confeſſurus accedere donec abſolutionem receperit, ut quicquid ineſſe poteſt in admonitionibus in cohortationibus roboris ac ſubſidii, id illi omne conferatur. Exigit etiam plerumque prudentia ut non Statim Pænitentis animo terror incutiatur, quod ita contingeret aliquando ſi confeſſarius ei renuntiaret non eſſe cur ante quatuor aut ſex menſes, abſolutionem vel communionem dari ſibi poſſe ſperet. Poterit ei ſignificari, nullo certi temporis definito ſpatio, omnia in bonis quas comparabit atque exeret diſpoſitionibus, eſſe poſita.

2. Nullatenus id ferri poteſt quod affirmat propoſitio, nimirum dum homines in graviſſima ſcelera prolapſi, *per quatuor per ſex menſes, &c.* à ſacra communione removentur id effici, *ut illi omne deſiderium, ſenſum omnem, omnem divini illius alimenti recordationem abjiciant, poſtremo ut in iis faſtidium quoddam, quædam ab Euchariſtiâ, imo*

*& Confeſſione ingeneretur averſio.* Reſilit illud crimen in Eccleſiam univerſam cujus vetus hæc Diſciplina fuit ut homines gravibus peccatis obſtrictos per plures aut menſes, aut etiam annos a Sacrâ Chriſti menſa repelleret; reſilit in omnes Epiſcopos qui eaſdem quæ modo ſunt ſtabilitæ, regulas etiamnum præcipiunt. Si quâ alia re effici poteſt, *ut omne deſiderium, ſenſus omnis, omnis Divini illius alimenti recordatio abjiciatur* præſertim vero feſtinatâ illâ ac præcipitatâ communione quæ hoc ipſo indigna evadit. *Hoc eſt enim indignè accipere, ſi eo tempore accipiat quo debet Pœnitentiam agere* ut loquitur antiquus ſcriptor, atque ut Tractatus Sancti Cypriani de lapſis nimis invictè probat quam ut alia quæ in Sanctorum Patrum ſcriptis innumera occurrunt hujus rei argumenta referre neceſſe ſit.

3. Non poteſt ſine horrore quodam ac tacitâ indignatione audiri quod in eadem propoſitione ſubjicitur. *Sacræ communionis dilatio iis hominibus præcipienda qui in graviſſimis ac maximè portentoſis criminibus diù jacuerunt, & inveteratam contraxerunt fœdiſſimorum peccatorum conſuetudinem ultra decem aut quindecim dies protrahi non debet, nonnunquam quatuor aut quinque ſufficient.* Non tantòpere in illam propoſitionis partem reclamaretur, ſi Pœnitentis nomine intelligi voluiſſet iſte Author, homines ſuorum ſcelerum verè pœnitentes, peccatores contritos, humiliatos, ad Deum converſos quos non tam probari neceſſe eſſet quàm magis ac magis in dies repurgari quò digniores fierent qui ad Sacram Synaxim admitterentur, poſtremò quibus nihil jam agendum ſupereſſet niſi ut recuperatam in Pœnitentiæ Sacramento gratiam novâ ſanctitatis & aliarum quæ communionis fructum augent piæ mentis affectionum acceſſione cumularent. Sed obſcurum non eſt illud nomen ab Authore propoſitionis iis omnibus promiſcuè tribui qui peccata ſua deponunt, in quem ſenſum accipi ſolet quoties pœnitens cum Confeſſario comparatur. Inde fit ut illa propoſitionis pars ab Eccleſiæ Doctrina, ab frequentata primis ſæculis, & noſtris etiam temporibus retenta conſuetudine, ut ſuprà demonſtratum eſt, tam longè abhorreat.

Quidam è Societate Jesu vir tum Doctrinâ tum pietate conspicuus qui sub finem posterioris sæculi tractatum quemdam de Eucharistiæ Sacramento composuit videtur illud tam periculosæ opinionis monstrum præsensisse atque ut ei respondere occupasse. *Est qui postquam innumera crimina & horrenda scelera Sacerdoti patefecerit, perendino aut tertio die carne & Sanguine Christi refici non timeat; quod sanè non est permittendum; quoniam qui habitum peccati contraxit, nonnisi magno nisu resipiscere magnâque animi contentione excitare in se salutiferum peccatorum dolorem valet.* Addit postea ejusmodi homines in sua crimina citò referri quod ipsis sat graves ac operosæ pœnæ non infligantur unde sentire possent quæ sit scelerum suorum atrocitas, eaque gemitibus ac lacrymis expiare. In hujus rei confirmationem adducit multorum pietatis ac sapientiæ non contemnendæ Confessariorum experientiam qui *innumeros homines*, ab imbibitâ gravissimorum peccatorum consuetudine retraxerunt *quod dilatâ absolutione sæpius ad Tribunal ut animi statum identidem aperirent, illos redire jussissent, impositâ interim delictorum pœnâ* Emericus de Bonis de Sanctiss. Sacr. altaris. c. 19. apud Contensonum to. 8. dissert. 4. cap. 2. quod apprimè congruit cum S. Ambrosii Doctrinâ lib. 2. de Pœnit. cap. 9. *Nonnulli ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se soluere cupiunt, quam Sacerdotem ligare: suam enim conscientiam culpâ non exuunt, & Sacerdotis induunt, cui præceptum est.* Nolite dare sanctum canibus, &c. neque miseritis margaritas vestras ante porcos, *hoc est immundis impuritatibus sanctæ communionis non impertiendo consortia.*

Est etiam dignissima reprehensionis ea ratio, quam affert idem Author in stupendæ suæ opinionis argumentum *Ne pœnitentes maximo quod eorum infirmitati possit afferri subsidio priventur.* Possent ea verba benigniùs in sensum laudabilem inflecti si illa de qua mentio fit infirmitas esset quid aliud à peccato mortali vel à peccati amore ac studio. Neque enim negatur necessarium non esse ut per longum aliquod temporis spatium à communione rejiciantur ii qui nullum residuum habere peccati studium qui à criminibus suis sincerè recepti, uno verbo qui absolutione digni prudenter

ac

ac consideratè judicantur. Sed quoniam ii qui propositionis Authori pœnitentes appellantur adeo non sunt ejusmodi ut etiam vulgo legitimus sit credendi locus, nunquam fore ut postquam *in fœdissimis ac maximè portentosis criminibus diu jacuerunt*, ab iis se decem, aut quindecim, quanto minus quatuor, aut quinque dierum spatio, prorsus expediant; quandiu non habent nisi nascentem illam criminis relinquendi voluntatem quæ nondum sat firma est ut vincat affectum peccati, quemadmodum describit Augustinus lib. 8. Confess. cap. 5. imbecilliores æstimari debent quam qui solidum ferant Eucharistiæ panem, quod robustius ipsis alimentum est, eosque prægravaret ac suffocaret potius quam juvaret ac sustentaret.

Quæcumque in hanc propositionem observata sunt eò collimant ut astruatur communionis aut absolutionis dilationem non ex temporis spatio sed ex Pœnitentium dispositionibus esse computandam; alii namque cum primùm se offerunt facilè reconciliari possunt & in Sacramentorum participationem venire, utpote qui statim verè pœnitentes accedant; alii contra cum nomine tenus pœnitentes sint etiam postquam se vicesies per annum stiterunt usque debent differi ac excludi, usque dum rite, ut decet affecti ac comparati veniant.

---

## XXVII. PROPOSITIO.

*Saltationes, profana cantilena, aliaque id genus nuga bacchanales* ( eo nomine appellat Author propositionis infames illas choreas ac tripudia, insanos larvatorum hominum concursus, aliasque scandalosas ac criminosas actiones quæ ea de quibus agit facinora comitabantur ) *ludi sunt innoxii, voluptates honesta, ita ut propter illos nemo sit à Parochis vel Confessariis, neque absolutione fraudandus, neque rejiciendus à communione, neque ad publicam ullam satisfactionem cogendus.*

VIGESIMA septima propositio falsa est, scandalosa, Christianæ austeritati ac sanctitati contraria, ad fovendas libidines & depravationem morum propagandam idonea.

Huic tam laxo, tam turpi, tam à Christianæ religionis institutis degeneri placito, trium ævo posteriore celeberrimorum Antistitum sententiam sufficiet opponere.

Insidebat in animo S. Caroli longè discrepans ab illa propositione opinio cum è recenti pestis morbo convalescens, institutionem quâ populum suum edoceret Italicâ linguâ exaravit. In ea Bacchanalis temporis oblectationes appellat *reliquias Ethnicæ superstitionis*, choreas illas ac tripudia, illos larvatorum hominum insanos concursus vocat oblectamenta detestanda, execrabilia, perniciosa; ex illo quasi fonte maxima quæque vitia diffluere ac permanare asserit, iis corpus, famam, æstimationem, modestiam, & quidquid est Christianarum virtutum fatiscere omnino ac pessumdari. Ad illa deinde hâs Apostoli voces accommodat *Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut jam non ambuletis sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui, &c.* & Paulo post, *nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ* S. Car. lib. memoriales cap. 7.

Similem de illis oblectamentis opinionem imbiberat Cardinalis Paleotus, sub illis fraudes dæmonis callidas, & laqueos latere existimat, eoque præsertim Bacchanali tempore pronos præcipitesque esse in flagitia mortales, & omne omnium vitiorum genus quasi orto diluvio abundare: *Ut soluti teterrimi hostis nostri laqueis quos hoc præsertim tempore solet tendere, caute agentes, non luxui, non ludis; non choreis, aliisque hujusmodi diaboli artibus vacent. Hujusmodi temporibus maximè propensiones in peccata, & peccata ipsa abundant.* Orat. in Septuag. de Bonon. Eccles. admin. p. 4.

S. Franciscus Salesius in suâ ad piam vitam introductione de choreis ac saltationibus mentionem facit. Eas non omninò tanquam res perse malas, neque enim sunt in speculatione atque abstractiône quadam metaphysicâ, condemnat, sed ab iis duntaxat tanquam à rebus periculosissimis Philotheam suam avertit: ac si videtur annuere ut quandoque illis intersit, cum videlicet ineluctabilis urgebit necessitas, ad id conditiones præscribit ejusmodi ut multò facilius sit abstinere ab iis omnino quam, si non

abstineat, præscriptas leges non infringere. Verumtamen quamvis supponat ibi affore neminem nisi pium & moratum, quamvis istiusmodi oblectationibus nonnisi cautè ac prudenter usuram Philotheam suam intelligat, quamvis inde sublatam procul dubio velit omnem luxuriæ ac intemperantiæ suspicionem nihilominus ita totum hunc locum absoluit. *Supponantur quamlibet honestæ, saltationes illæ ac choreæ, non tamen certè carebunt periculo. In illos caliginosos cœtus velut in commune quoddam receptaculum confluunt quæcumque alicubi regnant vitia, jurgia, rixæ, odia, divisiones, lascivia, Facilè deliniuntur mollia pectora in ea se dulce venenum sensum insinuat o Philothea, insulsæ istiusmodi oblectationes sua fere secum pericula important, pietatem debilitant, nervos omnes mentis frangunt, charitatis ardorem imminuunt ac mille in animâ cujusuis generis malos affectus excitant.* p. 3. chap. 33. Illa verba cum propositione non congruunt: qui sic loquitur ille choreas & saltationes non appellat: *Ludos innoxios, voluptates honestas futilesque nugas.*

Quantum ab Authore propositionis hac in parte dissideat Ecclesia satis intelliget qui attendere voluerit ad ea quæ illo tempore fieri atque observari sollicitè præcipit. Eo argumento utitur S. Carolus in Concilio suo Provinciali 3. Idem fusius explicat in Pastorali Septuagesimæ institutione. Hinc etiam Cardinalis Paleotus ea colligit quæ supra retulimus, additque Ecclesiam ut vitia virtutibus retundat, consentaneè ad antiqua Patrum instituta ac decreta Conciliorum postulare uti per illos dies jejuniis, orationibus, Litaniis, supplicationibus aliisque tum privatis, tum publicis exercitationibus operam fideles impensius navent. *Cum itaque ex antiquo Sanctorum Patrum instituto, decretisque plurium Conciliorum Statutum sit*, &c. Quod attinet ad satisfactionem publicam de quâ sub finem propositionis sermo fit: si publica fuerunt ejusmodi flagitia, tenendus erit ordo ac disciplina Diœceseos. Sunt quædam Bacchanalium dierum oblectationes quas non modo publicis pœnis publicâque satisfactione expiari Canones volunt, sed etiam excommunicatione feriunt, *ipso facto.* Hanc pœnam Aquense Concilium in eos statuit qui

in aliquo larvatorum aut ſaltantium conventu veſtes ſibiReligioſorum hominum aut mulierum adſciverint. *Nullus etiam veſtibus Religioſorum hominum aut mulierum utatur ad larvas vel ad ſcurrilia ſub pœnâ excommunicationis ipſo facto incurrenæ.* De Eccleſiis & earum cultu.

---

## XXVIII. PROPOSITIO.

*In eo loco qui ad Sacram Miſſam divinaque Officia celebranda conſecratus eſt, poſſunt ex ipſis Eccleſiæ regulis nullâ aliâ præmiſſâ benedictione ſine ullo ſingulari privilegio corpora humari Chriſtianorum; cum enim ille locus ad ſacratiſſimum Religionis noſtræ Myſterium ſit inauguratus, ejuſmodi conſecratio alterius cujuſlibet vices ſupplere poteſt. Quod ſi Epiſcopus iſtud improbet dici poteſt majori apud eum in honore ac ſtudio eſſe putidum cadaver, quam Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, nihilque tum vivis tum mortuis, injurioſius, nihil nec in ſæculares iniquius excogitari poſſe quam ſi tales ſepulturæ prohibeantur.*

VIGESIMA octava propoſitio quoad rem ipſam ſpectat falſa eſt atque Eccleſiæ regulis & uſui contraria; quoad verba quibus illa exprimitur, immodica, impudens, temeraria. Prætermittimus, quod Author propoſitionis tam acerbè convicietur judicium ab Epiſcopo latum de illâ re quam pro ſuo jure perpendere ac decidere poteſt.

Erat hæc olim inſtituta lex, ut ne cujuſquam corpus in ſacris ædibus humo mandaretur. Ex quo tempore id juris Eccleſia conceſſit ad humanda in templis corpora fidelium neceſſe non eſt ut in iis conſecrandis alii ritus adhibiti fuerint quam qui in Pontificali præſcribuntur ſi ſolemnis à Præſule fiat dedicatio, aut in Rituali libro, ſi ſimplex à Sacerdote benedictio.

Sed præter ſolemnem illam inaugurationem templorum, ſunt & aliæ quædam eæque non ita ſolemnes benedictio-

ries ac cæremoniæ quæ in privatis quibusdam ædibus domesticisque sacellis consecrandis observantur. Ejusmodi loca ad Sacram Missam divinaque Officia celebranda consecrata sunt, in iis tamen mortuos sepulturâ afficere non licet, nisi potestatem hujus rei fecerit Episcopus quem penes est locum ad fidelium sepulturam assignare.

---

## XXIX. PROPOSITIO.

*In hominibus Religiosis id immerito reprehendit Episcopus tanquam pravum ac noxium, quod in eorum Choro, diversæ extent Sanctorum è suo ordine vivorum Tabulæ quæ expressos præterea gerant eorum Religiosorum vultus qui tum áderant cum imagines illæ pingerentur; imo neque improbare potest quod in Tabulis Sanctos tertii, ut vocant, ordinis sui homines exhibentibus intersint laïcorum, ejusdem loci species adumbratæ. Illud tanti non est ut reprehendi debeat aut refelli.*

VIGESIMA nona propositio proferri non potuit illibatâ Sanctarum Ecclesiæ regularum authoritate. Derogat etiam illa debito Episcopis honori ac reverentiæ, quibus id muneris incumbit ut regulas, illas ac præcepta diligenter observari provideant.

Satis superque sunt sola Concili Tridentini verba in decret. suo de invocat & venerat, &c. sess. 15. tum ad illam propositionem refellendam, tum ad eos de quibus agitur Religiosos homines confodiendos. *Postremo, inquit Concilium, tanta circa hæc diligentia & cura ab Episcopis abhibeatur, ut nihil inordinatum, & præposterè ac tumultuariè accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat: cum Domum Dei deceat sanctitudo. Hæc ut fidelius observentur, statuit Sancta Synodus nemini licere, ullo in loco, vel Ecclesiâ, etiam quomodolibet exemptâ, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.* Id tanti esse S. Carolus existimavit, ut excommunicationem ab Episcopo intentari crediderit posse Rectoribus locorum exemptorum licet ac libe-

rorum, qui hâc in re Synodi Tridentinæ decreto refragati essent *Rectoribus etiam Ecclesiarum, qui ullam Sacram imaginem insolitam, contraque illius Concilii sanctionem, in suis Ecclesiis etiam exemptis, poni permiserint, pœna etiam excommunicationis, mulctave constituta sit arbitratu Episcopi, pro ratione culpæ irroganda* Concil. Provin. 4. de Sacris reliquiis &c. §. pictoribus.

At vero ut intelligatur eos de quibus agitur Religiosos homines à Synodi Tridentinæ decreto deflexisse, quæ à Sancto Carolo facta sit illius decreti interpretatio, legere sufficiat. Concil. Provin. 1. tit. quæ servanda sunt in sacris imaginibus *deinde uniuscujusque imaginis os, corpus, corporis habitum & statum, ornatum, & locum inspiciendum curent Episcopi, ut hæc omnia ad Prototypi dignitatem & sanctitatem apta sint & decora, atque ex imaginis inspectione pietas excitetur, nulla verò turpis cogitationis detur occasio. Hæc & reliqua hujusmodi ex Concilii Tridentini præscripto ut commodius Episcopi exequantur*, &c.

Facilè quivis animadvertere potest illas in Sanctorum locum suffectas, tum Religiòsorum, tum Laïcorum viventium ac passim in urbe cognitorum, effigies, haudquaquam idoneas esse ad afflandam spectantibus pietatem, neque sanctorum dignitati respondere quos ibi depictos esse oporteat.

In easdem B. Caroli voces plura observare necesse non est. Pius ille Cardinalis Conceptis verbis ac nominatim illas de quibus in propositione agitur, picturas prohibet: eas ex illarum rerum numero esse affirmat quæ possunt lædere pietatem, quævè aut amovendæ omnino sunt, aut saltem in melius corrigendæ, si decreti à Synodo Tridentinâ editi ratio haberi velit. *In illis autem, sicut Sancti cujus imago exprimenda est, similitudo, quoad ejus fieri potest, referenda est; ita cautio sit, ut ne alterius hominis viventis vel mortui effigies de industriâ repræsentetur.* Instruc. Fabr. Ecclesiæ lib. 1. cap. 17.

Idem omnino sanxit Cardinalis Paleotus in 1. Provinciali Concilio Bononiensi Constit. c. 3 tit. de Imaginibus Sacris, ubi id suscipit ut Concilii Tridentini decretum interpretetur ac observet, *& imprimis; ne in Sanctuatio Dei*

*profanæ Imagines admittantur, non superstitiosæ, non Apocryphæ, non falsæ, non otiosæ, non novæ, aut insolitæ, non ridiculæ, non monstruosæ, non quæ sanctorum specie, viventium faciem studiosè repræsentant; non alia hujusmodi quæ à priscâ abhorrent disciplinâ.*

Idem Dominus de Godeau in suis Institutionibus ac mandatis Synodalibus. tit. 13. n. 12. *Sanctorum imaginibus nullas profanas species inserent, aut quæ vivos homines exhibeant, cujuscumque illi conditionis sint. Si forte quædam hujusmodi picturæ nostris in Paræciis extarent Parochis mandamus ac præcipimus ut illæ quamprimum auferantur.*

Multa huc congeri possent alia testimonia, sed res per se patet; atque, etiamsi qui expenditur casus non esset in regulis Ecclesiæ nominatim expressus, tamen Episcopi judicio standum esset cui Concilium Tridentinum eas partes demandavit, ut decerneret inter picturas quæ in templis proponuntur quid permitti oporteat, quid prohiberi.

---

## XXX. PROPOSITIO.

*Non stultè, neque impiè, sed ad Summùm inconsultè ac minus prudenter egerunt illi Religiosi qui novum Testamentum Montibus hannoniæ impressum affixis ad muros ac valuas Tabulis, aliisque hujusmodi præmissis apparatibus, palam, in Templi sui vestibulo, quò frequens populorum multitudo confluxerat ad excipiendam Sanctissimi Sacramenti Benedictionem, privatâ authoritate cremaverunt. Diœcesano Antistiti Factum istud iisdem Religiosis in aliquo suo mandato exprobanti non immerito quis regesserit ipsum in Libros suos eam impietatis ac stultitiæ labem traduxisse quam iis Religiosis inurere voluerat.*

CRIMINIOSIUS est factum illud de quo in trigesimâ propositione sermo fit quam ut inconsultò tantum ac minus prudenter egisse Religiosi dicantur. Id jure ac merito potuit Episcopus improbare.


Verecundiæ fines transilit propositionis Author, verbisque utitur non impudentibus modo, sed etiam quæ impietatem ac stultitiam redoleant dum quâdam se â crimimine vindicandi libidine, quod nunquam licet, illam impietatis ac stultitiæ labem in ipsius Episcopi mandatum refundit.

---

## XXXI. PROPOSITIO.

*Qui existimat Episcopalem Diœceseos lustrationem signum esse quoddam publicum ac Solemne Catholicæ Societatis, is opinionem sibi fabricavit singularem omnino ac novam, nulloque innixam fundamento. Ea opinio Papas ac Reges Catholicæ Societatis destructores Constituit.*

TRIGESIMA prima ptopositio falsa est ac contumeliosa. Episcopalis Diœceseos lustratio actus quidem est authoritatis, sed hoc ipso signum quoddam est Catholicæ Societatis. Ideo enim jus istud in Episcopo residet quod ille sit quasi vinculum ac origo Societatis ejus quâ Diœceseos suæ fideles inter se devincti sunt; in eo quippè fons est Ecclesiasticæ communionis, unde in populos permanet ac derivetur, ut aiunt Episcopi ann. 1645. congregati, in epistolâ suâ circulari.



# XXXII. PROPOSITIO.

*Est hoc nova prorsus & inusitata Theologiæ genus nullius neque concilii, neque Doctoris authoritate corroboratum, quod Episcopus universos familiæ cujusdam Religiosos ideo schismaticos appellaverit, quia nimirum illi præsulem ædes suas lustrare ac recognoscere cupientem admittere noluerunt, objectisque ad id templi sui foribus scripto ei publico renuntiaverunt illum se ad Sacram Missam celebrandam nullatenus posse admittere nisi tanquam privatum Sacerdotem. Ea schismatis nota in Sedem Apostolicam ac Reges nostros refunditur, eosque schismatis fautores facit.*

TRIGESIMA secunda propositio perinde condemnari debet & quod suum Episcopis jus Templa regularium recognoscendi detrahere aggrediatur, & quod probet ac tueatur improbam hominum illorum contumaciam qui præsulem ad lustrandas ædes suas venientem admittere noluerunt.

Jus illud quod obtinent Antistites, regularium templa quantumvis immunium, perlustrandi consentit omninò cum Tridentinæ Synodi Doctrinâ *Ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas* sess. 7. de Reform. cap. 8. & sess. 11. ca. 8. *quæcumque in Diœcesi ad Dei cultum spectant, ab ordinario diligenter curari atque iis, ubi oportet diligenter provideri æquum est, &c.* Ab illo eodem jure regulas suas orsi sunt generales Cleri Gallicani Conventus an. 1625. 1635. & 1645. habiti de Regularibus. Est etiam illud plurimis edictis ac Sanctionibus confirmatum quæ legi possunt in actis Cleri Gallicani to. 1. c. 14. Et vero non multos ante hos menses Illustrissimus Archiepiscopus Remensis quasi qui jus illud pro vero ac contestato haberet ita scripsit in mandato suo die 24. Maii anni proximè elapsi edito. *Id ipsis ultrò indulsimus ut ab inspiciendo in eorum sacellis Sanctissimo Sacramento temperaremus, quamvis id ab Episcopo per suam latè Diœcesim fieri posse certissimum sit.*

M

Utrum Schimasmaticorum nomen eis compteat qui contra jus tam legitimum insurrexerunt, in ea re diligentius expendendâ non immorabimur, id nominis non usque ad pressiorem significationem urgetur, neque semper consummatum Schisma integramve ab Ecclesiâ sejunctionem sonat; licet inferioribus legitimam inire jura sua suasque immunitates tuendi, viam ac rationem, si ea injuste a superioribus impugnari existiment, at quod legitimo Antistitis sui juri pertinaciter atque obfirmato animo obsistant, id vero haberi debet pro quodam Schismatis ac dissidii nocentissimi initio, præsertim si res ad manum & contumelias veniat. *Non obedire præceptis cum rebellione quâdam constituit Schismatis rationem. S. Th.* 2. 2. q. 39. a. 1. ad 2. *Schisma disciplinam Ecclesiasticam labefactare nititur, & Episcopalem authoritatem concutere* inquit Gonzales ad cap. fraternitati tuæ de Schismat. juxta S. Basilium Epist. Can. c. 3. & Hieronymum in c. 3. ad titum, quos appellat Gonzales.

Profecto *disciplinam Ecclesiasticam labefactare nituntur & Episcopalem authoritatem concutere* qui Episcopo Diœcesano templi fores objiciunt, *renuntiantque illum se ad Sacram Missam celebrandum nullatenus posse admittere, nisi tanquam privatum Sacerdotem.* Quantum id Ecclesiæ disciplinæ atque Episcoporum authoritati deroget satis perspectum habebit qui articulos. 20. & 21. regularum a comitiis cleri Gallicani jam citatis constitutarum legent. Legi quoque potest & Epistola circularis quam clerus an. 1661. congregatus ad Episcopos Galliæ scripsit. Ibi extat latum ab ipso de simili prope facto judicium, quippe præmonstratenses Laudunæi Episcopo suo, nunc Cardinali d'Etres cum in eorum ædem S. Martino Sacram, conferre se voluisset ad Sacros Ordines administrandos, fores pariter objecerant qua de re edictum intervenit supremi consilii die 22. sept. 1663. quod extat in actis Cleri.

Possent igitur hæc Epistolæ circularis verba à Præsulibus an. 1655. Congregatis scriptæ, in eos de quibus agitur Religiosos non ineptè transferri ac intorqueri. *Certè licet ii de quibus loquimur, homines, in aperto schismate non versentur, dici tamen non immeritò potest, neque eos in integrâ & per-*

*fectâ Societate ac concordia esse constitutos, sed mediam quamdam inter hæc duo viam insistere, ac tertium veluti statum reperisse qui impedit quidem quominus Schismatici appellentur cum visibili Ecclesiæ duci ejusque disciplinæ ad eorum mentem explicatæ subjacere se profiteantur sed qui tamen eos in perfectâ societate non constituit, cum se ducibus privatarum Ecclesiarum surripiant, quibus ut illa societas servetur, subjectos eos esse oportet, imò, quibus ad regendas animas subjici omnes jubet qui totius Societatis caput ac quasi centrum est.*

---

## XXXIII. PROPOSITIO.

*Vexationem ac Tyrannidem cum manifestam omnibus, tum novam omnino & institutis Ecclesiæ contrariam exercet is Episcopus, qui publico mandato sanxit, intentatâ excommunicationis pœnâ ut ne ulli è Diœcesi suæ fideles Divinis Officiis intersint in eorum Religiosorum templo qui ei ad inspiciendas ædes suas venienti templi ejusdem aditum obturaverunt.*

DUO in trigesimâ tertiâ propositione veniunt expendenda. 1. Utrum potuerit Episcopus in Religiosos censuris aut pœnis animadvertere. 2. an ea pœna quam inflixit, justa fuerit ac Canonica.

Quod ad 1. attinet, si Episcopi jus certum ac contestatum sit, ut est, extra omnem controversiam poni debet, potuisse, imò debuisse præsulem in eos animadvertere qui suo illi juri tam audacter, tam pervicaciter, tam contumeliosè se interposuerunt. Ea clausula conceptis verbis enuntiatur sub finem regularum à Clero Gallicano constitutarum. *Atque ut hisce regulis obtemperetur, licet Episcopo, Vicariis Generalibus ac Officialibus refragantes ad eas observandas censuris excommunicationibus & aliis hujusmodi juridicis pœnis adigere, idque, non obstante ullâ vel interpositione vel provocatione.* Et vero Agathensis Antistes hujus decreti vi Augustinianorum, Observantinorum, & Recollectorum Templa interdixit ut legere est, in epistolâ die 15. Junii an. 1646. à Clero Gallicano qui ipsius defensionem suscepit, conscriptâ.

Pœna in propositione relata mitior multo est quam vel excommunicatio, vel interdictum. Non est ea quidem omninò usitata. Quanquam dici potest.

1. Non Deesse omnino hujus rei exempla quædam. Plures Episcopi numerantur qui olim à suâ proindeque ab universi populi sui communione nonnullos homines rejecerunt quos non ideo ab Ecclesiæ corpore sejunctos aut Excommunicationis pœnâ afflictos volebant. Sic Imperatorem Maximum â communione suâ rescidit S. Ambrosius, tametsi eum excommunicationis fulmine non perculerit, utpote qui illius Antistes non erat. Sic in 45. & 47. Canone inter eos qui appellantur Collectio Africana, sic in Epistolâ S. Leonis ad Anatolium Constantinopolitanum memorantur quidam Episcopi quibus hæc una injuncta pœna fuerat. *Ut suarum Ecclesiarum essent communione contenti.* Sunt & alii hujusmodi Canones qui in jus Canonicum inserti fuerunt. Eos multi Authores ita interpretantur quasi partialem hanc, si ita loqui fas est, excommunicationem significent; citantur illi tum Canones tum Authores apud Suarem, tametsi eorum ipse opinionem non amplectatur. De conf. disp. 24. sect. 1. n. 2. & seq. ea quæ in propositione refertur pœna, cum hâc coincindit. In suam & populi sui communionem quosdam Episcopus admittere recusavit, quamvis non ideo societatem omnem excommunicationis fulmine abrumpi voluerit.

2. Quantumvis non extarent similia omnino hujus rei monumenta, egit tamen Episcopus consentaneè ad Canonici juris instituta; non solum enim in eo facultas Antistiti conceditur populum suum ab omni quod ipsorum saluti detrimentum importare posset *tum in divinis, tum in humanis* commercio retrahendi, sed etiam agnoscit genus quoddam suspensionis quo qui mulctantur aliis tantum non sibi suspensi sunt, hoc est muneris quidem sui partes clam & remotis arbitris, non vero palam & cœteris spectantibus exequi possunt.


De illo suspensionis genere tam novi Canonistæ loquuntur quam antiqui, licet omnes fere fateantur eam non esse veram censuram ac propriè dictam suspensionem, addantque præterea his temporibus eam abolitam esse.

Ita loquitur Navarrus. *Sexto dico quod illa divisio suspensorum Panormitani & aliorum, scilicet quod quidam sunt quoad se solum, alii quoad alios solum, alii & quoad se & quoad alios, licet communis sit & vera, accipiendo vocabulum suspensum generaliter, non tamen accipiendo ut hic pro impedito per suspensionem speciem censuræ Ecclesiasticæ.* Man. c. 27. n. 153.

Dicit Fagnanus suspensionem hanc esse dumtaxat indirectam neque, si prohibeatur aliis ne Missæ à Titio celebratæ adsint, ideo & Titio ne Missam celebret, prohiberi *hæc est suspensio indirecta respectu aliorum, ad effectum, ut ab eo non audiant divina, nec est bona consequentia præcipio vobis ut non audiatis Titium legentem: ergo Titius est suspensus à lecturâ, ut inquit Abbas* c. vestra n. 7. de cohabit. Cleric. & mul.

Videtur inflicta ab Antistite in mandato suo mulcta posse ad istud suspensionis genus reduci. Enimvero iisdem ferme vocibus constat quibus apud Fagnanum supensio quoad alios; vera suspensio sit, vera censura, nec-ne, haud multum interest satis est istud Canonico jure approbari, tametsi non sit fortâsse vulgò usitatum.

3. Inter Authores convenit suspensionem in societates integras ferri posse. Davil. 3. p. disp. 3. dub. 2. cumque suspensiones sint aliæ totales aliæ partiales posse superiorem quorumdam duntaxat muniorum exercitio interdicere salvis aliis, unde sequi videtur quod etiamsi Missam Sacerdoti celebrare non prohibeat, huic tamen vetare possit ne palam celebret, Sacram. Communionem administret, &c.



# XXXIV. PROPOSITIO.

*Non potest Episcopus mandatum ejusmodi emittere quod censuras in refragantes indicat, quodque ea quibus ad illud edendum adductus fuerit, delicta verbis acribus ac asperis denotet, quin charitatis leges infringat & ab illâ mansuetudine declinet quam & inculcavit aliis Christus & in omnes ipse exercuit.*

EPISCOPI an. 1645. & 46. frequentes Congregati affinem huic accusationem elevaverunt. Res tum prope similis agebatur, nimirum Regulares quidam Agathensi Episcopo regulas jam supra laudatas observare volenti se se pertinaciter interposuerant. Ita illi Antistites loquuntur in Epistola suâ circulari 15. Junii 1646. scripta. *In his occasionibus indulgentia non ab Ecclesiasticâ mansuetudine, sed ab socordiâ quadam & Ecclesiasticarum legum violatione proficiscitur. Debemus profecto lædentibus nos ignoscere ut Pastorem Pastorum imitemur, sed ejus quoque firmitudinem animi ac sanctam iracundiam tenemur imitari ... S. Carolus vir ille admirabilis ad cujus velut perfectissimi exempli mores formare se nostrum unusquisque debet eâ mansuetudine fuit quæ nullis injuriis poterat ægrescere. At quemadmodum, ubi sua res agebatur, obmutescebat, ita pariter, ubi ulla muneris sui pars in discrimen adducebatur omnibus Ecclesiæ fulminibus detonabat. Incidit ille in similes iis de quibus scribimus difficultates ac molestias; at cum in iis tranquillitatis ac charitatis usque retinentissimus fuit, tum incredibile animi sui robur exercuit, atque ut Patrum verbis utamur, vere se Episcopali fortitudine munitum ac circumseptum exhibuit, tam adversus regulares quam adversus laïcos quotiescumque illi jugum obsequii detrectare atque excutere voluerunt.*

Profecto, quod unum hic adjicietur, concinunt omnino illa Episcoporum verba S. Augustini Doctrinæ. Etenim advertit pius Doctor quandoque. *Dominum amarè & acerbè arguisse Judæos sed amando*; Serm. 307. n. 5. Concinunt D. Bernardi menti qui credebat debere se nonnumquam eò

aſperius arguere quo amabat vehementius. *Dura loquor quia duriora vobis formido, ſed mementote a ſapiente dictum, meliora eſſe verbera amici, quam fraudulenta oſcula inimici* Epiſt. 121. ad Ludov. Regem. n. 4. *Acriter loquor, quia acriorâ vobis formido: quod non ita vehementer timerem niſi vos vehementer diligerem.* S. Bern. Epiſt. 220. n. 2.

---

## XXXV. PROPOSITIO.

*Qui aſſerunt Principum Sæcularium authoritatem ſimul cum Eccleſiâ conſpiraſſe ad retundendos Regularium conatus & conſilia diſſipenda ii Reges, Summos Pontifices ſequè ipſos, hoſtes totius Religioſi ordinis infenſiſſimos profitentur. Præterea tantam univerſo Regularium ordini ſingulisque Religioſis familiis, ne unâquidem exceptâ contumeliam inferunt, quam quæ maxima, qui regulares novorum conſiliorum Architectos appellant: inurunt quoque turpiſſimam opprobrii labem Regibus, ſupremis Senatibus, ac ipſæ Pontificæ Sedi quos fingunt ad retundendos Regularium conatus & conſilia diſſipanda conſpiraſſe. Quin etiam duplex fit Apoſtolicæ Sedi injuria unde illorum immunitates fluunt ac permanant. Uno verbo miniſtri Calviniſtæ nihil unquam in Eccleſiam probroſius evomuerunt quam quæ leguntur in mandato Antiſtitis Sancti Pontii, videlicet Principum ſæcularium authoritatem ſimul cum Eccleſiâ conſpiraſſe ad retundendos Regularium conatus & conſilia diſſipenda.*

TRIGESIMA quinta propoſitio immani exaggeratione amplificat ac inani injurioſaquè cenſurâ notat propoſitionem quandam ab uno Epiſcopo prolatam eo ſenſu quo vera eſt & fuit jam â multis præſulibus aliis emiſſa.

D. De Montchal Toloſanus Archiepiſcopus in Congregatione an. 1645. habitâ dixit *Religioſos nimiâ gratiæ ac authoritatis alienæ fiduciâ multum exceſſiſſe, & immunitates ſuas, ad intolerabiles uſque terminos protendiſſe.*

Eodem modo loquuntur Episcopi an. 1640. congregati, initio regularum jam antea laudatarum, & 1625. in circulari Epistola ad regulas adjectâ. *In id præcipuè sedulo nobis incumbendum putavimus ut novis quotidiè Regularium immunium contra dignitatem ac honorem ordinis Hierarchici conatibus & consiliis quoquo modo obviam iremus.*

Idem frequentium Episcoporum cætus an. 1650. convocatus in Epistola circulari die 22. Novembris an. 1651. scripta conqueritur etiam de *quotidianis plurium Regularium moliminibus* Nihil est eâ querimonia frequentius in cujus gratiam tot à S. Pontificibus Bullæ, tot à Regibus edicta, declarationes, decreta concessa sunt quæ Episcopale jus ac dignitatem asseruerunt.

Huc etiam accedit quod illæ voces quas adeo insectatur propositionis Author eædem omnino sint ac illæ quas adhibuit Illustrissimus Harlæus nuper Parisiensis Archiepiscopus in cœtu an. 1685. habito cui præerat. *Anno* 1632. inquit. *Eminentissimus Cardinalis de Grimaldi Nuncii Vices tum in Galliâ fungens in manibus Episcoporum reposuit Breve quoddam ab Vrbano VIII. concessum quo Religiosorum immunium conatus retundebantur.*

Qui sic loquitur, non ideo vel singulos Religiosos vel ordinem universum accusat, sed eos duntaxat quorum consiliis obsisti non potuit nisi objectâ Sanctæ Sedis authoritate innumerisque tum hoc sæculo tum post habitam Tridentinam Synodum impetratis Edictis.

Non hodie primùm exstiterunt ejusmodi accusationes ac querelæ. Sciunt omnes quam acriter invectus sit S. Bernardus in quorumdam sui tum ævi tum etiam ordinis Abbatum ambitionem qui id moliebantur ut Episcoporum suorum authoritati se subriperent, suisque immunitatibus ac privilegiis abutebantur. De Consid. lib. 3. cap. 4. & de Offic. Episc. ad Henricum cap. 9. Narrat scriptor quidam vetustioris ævi, qui ante absolutum sæculum 11. floruisse creditur vi atque authoritate repressum fuisse Abbatis cujusdam consilium qui subjacere Episcopo suo recusabat. Digna sunt illius Authoris verba quæ hic inserantur *Subradus contra Evangelica & Apostolica decreta Episcopo subjugari detrectabat. Posteà tamen multâ*

*au-*

*thoritate subjectus esse convincitur, tandemque resipiscens ad deditionis jugum quamvis invitus reflectitur; quia quicumque jugum Episcopi declinare contendit etiam Christi refugere convincitur, nemo enim absque Episcopalis ministerii conditione ad unitatem Ecclesiæ cogitur.* Chron. Camerac. & atrebat. lib. 1. cap. 106.

---

## XXXVI. PROPOSITIO.

*Non satis est si quis errorem summoperè execretur. Debet etiam pari in omnes quos illius venenum infecit, odio ferri. Etenim fieri nullomodo potest ut B. Virgini placeamus absque Fide vivâ, quam Fidem repurgat ac vividam facit summum in homines erroris fuligine afflatos odium.*

TRIGESIMA sexta propositio falsa est, scandalosa veritati & charitati in Evangelio toties inculcatis omnino contraria.

Pietas in B. Virginem non alio fundamento innititur quam verâ sanctitate cujus hæc nota ac proprius quasi caracter est ut malum aut errorem impugnet, aversetur, profliget, eos autem qui in illa prolapsi sunt amet ac foveat, quo inde extrahantur. Id docet passim S. Augustinus. Illum affectum animi errores execrantis & diligentis homines non tantum pro Sancto ac pio haberi vult, adeoque vivæ Fidei quæ solâ charitate vivit, & pietati in B. Virginem cui placere nullo modo possumus absque vivâ Fide, consentaneo *Facile est atque proclive malos odisse quia mali sunt: rarum autem & pium eosdem ipsos diligere, quia homines sunt; ut in uno simul & culpam improbes, & naturam approbes, ac propterea culpam justius oderis, quod eâ fœdatur natura quam diligis.* Epist. 153. alias 54. ad Macedonium cap. 1. Sed etiam alibi asserit eum divino præcepto imperari, *Quanquam enim Dominus per servos suos regna subvertat erroris ipsos tamen homines, in quantum homines emendandos esse potius quam perdendos jubet.* contra Epist. Manich. c. 1.

# CONCLUSIO.

Qui Augustini locus subscriptis Doctoribus occasionem suggerit totam hanc responsionem his aliis ejusdem Augustini verbis concludendi. *Hæc cum impigrâ mansuetudine agenda & prædicanda retinete : Diligite homines, interficite errores : sine superbiâ de veritate præsumite, sine sævitiâ pro veritate certate : orate pro eis quos redarguitis atque convincitis .... vivatis & perseveretis in Christo, & multiplicemini atque abundetis in charitate Dei, & in invicem, & in omnes* contra litt. Petiliani lib. I. c. ultimo.

COETERÙM denuntiant illi has se propositiones, quales in se sunt, atque sibi traditæ fuerunt, non cognitis authoribus, non lectis iis unde excerptæ sunt, libris, expendisse. Quoniam igitur accidere potest ut quædam propositio quæ cum operis serie connexa nihil habet quod reprehendatur, ea si à toto quasi contextu ac tenore orationis sejuncta dissolutaque sit, videatur & quoad rem ipsam & quoad voces quibus exprimitur condemnanda, sensumque præ se ferat cum ab Authoris animo tum ab operis sensu alienum, declarant item iidem Doctores nolle se neque in Authores neque in scripta refundi eas quas in omnes supra relatas propositiones conjecerunt, notas, nisi forte bonâ Fide expressæ fuerint (quod ita esse confidunt, cum sibi traditæ sint ab Episcopo quem penès est doctrinam & libros quæ per suam Diœcesim vulgantur expendere ac judicare) & præterea ab Authoribus in eo sensu defendantur, in quo reprehendendas eas esse demonstratum est.

Deinde sui muneris esse arbitrantur tria insuper observare quæ ex harumce propositionum examine resultant quævè ad Librorum ex quibus exscriptæ sunt Authores vel ad Episcopum qui in eis impetitur pertinent.


Ac I. contendunt ii falsò, injustè, temerarie, nec nisi violatis omnibus pietatis ac sinceritatis Christianæ legi-


bus id molitum esse Authorem propositionis ut Episcopi hujus facta ac Doctrinam condemnaret, vel suspiciosa faceret. Causam suam agere videtur in omnibus factis in quibus agendi rationem Episcopi sui coarguit, factum vero ne unum quidem affert, in quo quidquam reprehensione dignum occurrat. Quod spectat ad Doctrinæ capita quæ impugnat, ea sunt aut dogmata Fidei, aut vulgares ac tritæ, imo certissimæ apud Theologos opiniones, aut saltem recepta vulgò & probata Ecclesiæ placita quæ non solum omni veneno, sed vel minimâ mali suspicione carent.

Deinde declarant, authorem hunc non sine gravissimo peccato & maximâ offensione omnium, tot quibus propositiones scatent, injurias ac crimina in Episcopum evomuisse. Esset profectò ille Author non mediocris flagitii reus, & perfractis omnibus officii, charitatis ac justitiæ regulis ad satisfactionem publicam teneretur si privatum quemdam hominem aut Doctorem offendisset, jam verò cum Episcopum impetierit cujus ut sana ab omnibus Doctrina habeatur vitaque omnis nulli vel probro vel invidiæ pateat tantum interest ac ipsius muneris ratio postulat, quanto nocentior æstimari debet & ad satisfactionem cogendus severiorem & solemniorem? Dissimulanda tanquam parentis, Episcopi culpa est, & quibusdam involucris obtegenda. Quantumvis certa ac manifesta sint errores ac facta quæ ipsi crimini vertuntur, nunquam est ad publicam accusationem descendendum, nunquam detrahendum illius famæ nisi prudenter ac consultò, nisi necessitas ineluctabilis urgeat. *Scriptum est, principem populi tui non maledices.* act. 23. chap. 5. quanto igitur & quam atroci scelere tenetur obstrictus ad quam satisfactionem cogendus, quam gravibus pœnis afficiendus privatus ille vir qui gratis atque ex animo libellos scribit ac disseminat quibus falsò accuset & in invidiam adducat unius Episcopi doctrinam & rationem totam administrationis? Idem statui debet pro sua parte in alios omnes qui eum impulisse, instigasse, defendisse aut adjuvisse in ejusmodi scribendis aut vulgandis Libellis deprehenderentur.

Ad extremum si ex istis Authoris propositionibus quæ-

dam esse possit illius Doctrinæ morum atque ingenii divinatio denuntiant habendum eum esse pro suspecto, periculoso, indigno, atque etiam inepto, vel ob ignorantiam vel ob malitiam suam, vel propter utramque, qui ad Confessarii, Concionatoris, Doctoris Ministerium aut ad alia ulla quæ in erudiendis vel regendis fidelium animabus occupantur munia, possit admitti, neminem neque Episcopum, neque Rectorem posse eum salvâ conscientiâ, ad ullum hujus generis ministerium adhibere; postremo idem observari debere in illos qui eadem cum Authore propositionum sentire, iisdem opinionibus adhærere aut in partem venisse calumniarum quas ille adversus Episcopum pervulgavit usque dum culpam suam idoneâ satisfactione emendaverint ac certa dederint pœnitentiæ ac mutationis argumenta.







# NOMINA DOCTORUM qui consultationem de triginta-sex Propositionibus subscripserunt.

DOMINUS LEONARDUS DELAMET, è Regiâ Navarrâ Sancti Eustachii Pastor.

D. NICOLAUS PETITPIED è Domo & Societate Sorbonicâ Canonicus & Succentor Ecclesiæ Parisiensis.

D. JOANNES GERBAIS, è Domo & Societate Sorbonicâ Professor Regius.

D. GUILLELMUS CHANU.

Fr. PHILIBERTUS BEZANCENOT in Parisiensi Cistercìensium Collegio Doctor Regens.

D. GERMANUS FROMAGEAU è Domo & Societate Sorbonicâ.

D. THOMAS ROULLANT Canonicus & Præpositus Ecclesiæ Remensis atque Illustrissimi Remensis Archiepiscopi Vicarius Generalis.

D. CLAUDIUS LE FEVRE, è Regiâ Navarrâ Theologiæ Professor & Sacræ Facultatis olim Syndicus.

D. SIMEON ROINETTE, è Domo & Societate Sorbonicâ Abbas Alti Fontis nec-non Illustrissimi Archiepiscopi Parisiensis Vicarius Generalis.

D. JOANNES JOLLAIN, è Domo & Societate Sorbonicâ Sacræ Facultatis Syndicus.

D. MARINUS HUMBELOT, Canonicus Sancti Thomæ à Lupara.

D. FRANCISCUS FEU, Pastor Sancti Gervasii.

D. ANTONIUS LE PECHEUX.

D. ARNALDUS TRISTAN DE S. AMANS, Archidiaconus Agathensis.

D. NICOLAUS BLAMPIGNON, è Regiâ Navarrâ Primicerius Pastorque Sancti Mederici.

D. PETRUS LEGER.

D. LUDOVICUS HYDEUX, Sanctorum Innocentium Pastor.

Fr. LUDOVICUS DE BOURGE'S, Sancti Victoris Canonicus Regularis.

D. JOANNES SOULLET, è Regiâ Navarrâ.

D. CLAUDIUS GALLIOT, Collegii Questorum Gymnasiarchus.

D. PHILIPPUS DU BOIS.

D. CLAUDIUS BLOUIN, Præfectus Domus Hospitalis puerorum quos Rubros vocant.

D. JOANNES RABOUIN, è Domo & Societate Sorbonicâ Ecclesiæ atque Universitatis Parisiensis Cancellarii Vicarius.

D. GUILLELMUS BOURRET, è Domo & Societate Sorbonicâ Professor & Scripturæ Sacræ Lector.

D. THOMAS DURIEUX, è Domo & Societate Sorbonicâ, Collegii Sorbonæ-Plessæi primarius.

Fr. LUDOVICUS L'ATTAIGNANT, Canonicus Regularis & Prior Sancti Victoris Parisiensis.

D. JACOBUS LEULIER, è Domo & Societate Sorbonicâ Pastor Ecclesiæ Sancti Ludovici in insulâ.

D. JOANNES CAMIN.

D. ROBERTUS LAINE'.

D. NATALIS VARET, è Regiâ Navarrâ Canonicus Sancti Jacobi ab Hospitali.

D. JEANNES DESMOULINS, Ecclesiæ Parisiensis Pœnitentiarii Vicarius.

D. ANDREAS TULLOU DÉSMARETS, Ecclesiæ Sancti Benedicti Pastor.

D. JOSEPHUS LAMBERT, è Domo & Societate Sorbonicâ Prior Paleseau.

D. DIONISIUS LE BRETON, è regiâ Navarrâ.

D. DIONISIUS LEGER, Archidiaconus nec-non Illustrissimi Andegavensis Episcopi Vicarius Generalis.

D. JOANNES HEBERT.

D. CAROLUS NICOLAUS GARSON, Ecclesiæ Sancti Landerici Pastor & olim Facultatis Theologiæ Syndicus.

D. JOANNES TRIBOULART.

D. NICOLAUS JUBINOT.

D. PHILIPPUS ANQUETIL.

D. ANTONIUS HERLAU, è Regiâ Navarrâ.

D. JACOBUS JOLLAIN, è Regiâ Navarrâ Ecclesiæ Sancti Hilarii Pastor.

D. JOANNES-BAPTISTA BOSSY, Ecclesiæ Sancti Ludovici in Insulâ Vicarius, nunc Briæ Ecclesiæ Pastor.

D. JOANNES SARRASIN.

D. JOANNES-FRANCISCUS RUFFIN, Canonicus Regularis Sanctæ Crucis.

D. MICHAEL PHILIPPUS BONNET, è Domo & Societate Sorbonicâ Ecclesiæ S. Pauli Vicarius.

D. ANDREAS MANSEL, Prior & Primarius Collegii Magistri Gervasii.

D. LUDOVICUS ELLIES DUPIN, Professor Regius Philosophiæ.

D. FLORIDUS MOLIN.

D. LEONARDUS DOLLE'.

D. JOANNES DESAYETTES, è Regiâ Navarrâ nec-non Illustrissimi Episcopi Montalbanensis Vicarius Generalis.

Fr. NICOLAUS LE BEAU, Sanctæ Crucis Canonicus Regularis.

D. JACOBUS PINSSONAT, Professor Regius Collegii des Grassins Gymnasiarchus

D. JOANNES VIVANT, è Domo & Societate Sorbonicâ, Canonicus Ecclesiæ Parisiensis atque Ecclesiastici Fori Procurator.

D. FRANCISCUS ROBERTUS SECOUSSE, è Regiâ Navarrâ.

D. CAROLUS CHAUVIN, Pœnitentiarii Ecclesiæ Parisiensis Vicarius.

D. HYACINTUS RAVECHET, è Domo & Societate Sorbonicâ.

D. PHILIPPUS DE LACOSTE, Nozodochii Parisiensis Prefectus.

D. CLAUDIUS NICOLAUS DESPREZ.

D. GASPARDUS BRUNET.

D. FRANCISCUS ARNALDUS D'ARNAUDIN Sancti Martini Ecclesiæ Pastor in Oppido Sancti Dionisii in Galliâ.

D. FRANCISCUS VIVANT, è Domo & Societate Sorbonicâ Pastor Ecclesiæ Sanctorum Lupi & Ægidii.

D. JOANNES-BAPTISTA FAVART, è Regiâ Navarrâ Collegii Remensis Gymnasiarchus.

D. GASPARDUS CLAUDIUS NOLET.

D. LUDOVICUS DE TARGNY, Collegii Dainvillæi Gymnasiarchus.

D. ANTONIUS LE MOINE, è Domo & Societate Sorbonicâ.

Fr. GABRIEL DESLONDES, Theologiæ Professor in Magno Dominicanorum Parisiensium Conventu.

D. NICOLAUS L'HERMINIER.

D. PETRUS D'AVOLE', è Regiâ Navarrâ.

D. CAROLUS UVITASSE, è Domo & Societate Sorbonicâ Professor Regius Theologiæ.

D. GUILLELMUS DE LAMARE, è Domo & Societate Sorbonicâ.

D. BERNARDUS ANDRE'.

D. QUINTINUS BOUDET.

Fr. CLAUDIUS QUINQUET, Parisiensis Cisterciensium Collegii Provisor.

D. SIMEON POTIER.

D. GUILLELMUS DE VOULGES, è Domo & Societate Sorbonicâ.

D. NICOLAUS PETITPIED, è Domo & Societate Sorbonicâ.

D. STEPHANUS MILANGE, è Regiâ Navarrâ.

D. ANTONIUS MORAN.

D. CAROLUS FRANCISCUS DUFOUR.

D. DIONISIUS PUYLON.

D. GUILLELMUS BERNARDUS DE MONTEBISE, è Domo & Societate Sorbonicâ Constantiensis Canonicus,

D. ADRIANUS PICARD, è Domo & Societate Sorbonicâ Constantiensis Canonicus.

D.